Cum Deo!

EXERCITATIO THEOLOGICA:

De

NOVISSIMORUM OMNIUM NOVISSIMIS:

I. ΠΑΡΑΔΟΣΕΙ vel TRADITIONE (sub finem Mundi) Regni (Gratiæ) CHRISTI, Mediatoris, in manus DEI Patris sui:

II. ΥΠΟΤΑΓΗ, SUBJECTIONE Ejusd. DEO Patri suo:

&

III. DEO ΑΥΤΑΥΤΩ nunc & tunc, vel Omnia in Omnibus:

ad Locum

1. Corinth. cap. XV. comm. 24. seqq.

Autore

ANDREA SENNERTO, P.P.
in Academia Wittenberg.

WITTENBERGÆ,
In Officinâ FINCELIANA exscribebat MICHAEL METER,
Anno cIↃ IↃc LXVII.

Apocalypſ. I. verſ. 8.

Ἐγώ εἰμι τὸ Α καὶ τὸ Ω, λέγει ὁ Κύριος, ὁ Θεὸς, ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, ὁ Παντοκράτωρ.

Lectori Benevolo
S. & O.

*L*ECTOR BENEVOLE: *Qvanti conſtet habendave ſit præſens hæc materies, præ reliqvis ex Patrum, qvos vocamus, venerando choro, Origene maximè, Athanaſio, Gr. Nazianzeno, Epiphanio, Ambroſio, Gr. Nyſſeno, Chryſoſtomo, Auguſtino, Cyrillo, Theodoreto, Oecumenio, aliis, præſertim v. D. Hilario & Theophylacto, ſuis in qvibusvbet locis, Tibi, ſi placet, cognoſcere licebit. Ego impræſentiarum pluribus illam commendare ſuperſedeo. Unico hoc ſolo hac vice monito in anteceſſum: Inſcripſi illã* NOVISSIMORUM OMNIUM NOVISSIMA. *Atq; ita adhuc animo ſedet habeoq;. Conſidera qvippe & recollige unà mecum, ſi voles, Lector benevole, illorum precipuè membrum ſecundum & tertium,* Ὑποζυγὴν *nempe &* DEUM o-

mnia in Omnibus. *Quod si obstare videbuntur Tibi* Consummationis seculi *articulus vel etiam* de Inferno *&* Vita æterna, *distingues inter illius (Consumm. seculi) initium, medium & finem vel complementum, hujus verò & istius Actum (executionem) & Statum, & sic porrò.* Cognoscimus hic ex parte, non ex toto: cernimus nunc per speculum & per ænigma, *1. Corinth. XIII. 9. seq. Quòd si verò aliud fortè adhuc Tibi arridet, Lect. Bone, per me materiam hanc vel ejusd. tractationem inscribere poteris: NOVISSIMORUM OMNIUM SINGULARIA. Perinde erit. Tantum. B. Val. in Domino.*

A καὶ Ω.

A καὶ Ω.

Exercitatio Theologica:

De

NOVISSIMORUM OMNIUM NOVISSIMIS, &c. &c.

SUMMARIUM.

ARgumentum Tractationis. Ejusd. series & ordo. Sedes propria in Scripturis sive thematis s. dogmatis hujus. Verba ipsissima. Versiones qvædam. Evolutio Vocum qvarundam: *finis, traditionis, regni, subjectionis*, similium. Status Exinanitionis CHRISTI. Ejusd. fundamentum & sedes genuina in Scriptura S. Qvidditas & qvalitas. Status Exaltationis. Ejus sedes, & qvæ ad hunc pertineant: qvorsum spectat etiam dogma nostrum. Officium JESU Christi triplex; propheticum, sacerdotale & regium; regium in specie, & qvotuplex idem: specialiùs talia paulò evolvuntur: item, qvantum ejus varietates & distingvendi modos. Novissimorum doctrina: numerus: connexa. Dogma nostrum tergeminum ex eorundem numero, & distinctum â reliqvis: qvod probatur. Porrò, I. *Traditio Regni Christi in manus DEI Patris sui* evolvitur nunc speciatim. Sententiæ Veterum & recentiorum D D. de eadem materiâ variæ: Hilarii, Augustini, Theophilacti, B. Lutheri, Chemnitii, aliorum. Qvis porrò traditurus ille sit? Qvid traditurus sit Christus, qva homo? Gratiæ nempe regnum: & qvalis traditio illa? Cui traditurus sit? Photinianorum heic matæologia refellitur paucis. II. *Subjectio Christi DEO Patri suo.* Sententiæ iterùm Veterum & recentiorum scriptorum super hac re: Origenis, Athanasii, Hilarii, Gr. Nazianzeni, Epiphanii, Ambrosii, Gr. Nysseni, Chrysostomi, Augustini, Cyrilli, Theodoreti, Theophylacti, Oecumenii, D. Æg. Hunnii, O-

ſiandri, Balduini,&c. Qvis porrò ſubjiciendus? triplex de eo maximè ſententia. Qvæ & qvalis illa ſubjectio futura, juxta allatam tripl. ſententiam? Cui ſubjiciendus? Photinianorum & hîc matæologia notatur paucis. III. *DEUS*,ὁ *ἐυλογητος*,conſideratur piè & ex imbecilli noſtro,ut *Omnia in omnibus*. Sententiæ iterùm Veterum recentiorumq́; variæ. Porrò,& qvidem Qvid vel qviſnam intelligatur hac voce *DEUS ?* 2. qvidnam per phraſin : *Omnia in omnibus* ? Demùm,Definitio ſ. Deſcriptio affertur qvaliscunq́; (ſummatim)ſimul & ſemel hujus noſtri,qvo de hactenus,noviſſimorum novisſimi Fidei articuli.

TRACTATIO.

§. I.

ET plurima variaq́; ſunt continenturq́;, eademq́; ſacro-ſancta omninò, in Scriptura S. S. vel Verbo DEI revelato ſcriptoqve Religionis aut Fidei Chriſtianæ Dogmata ſeu Capita vel Objecta: de DEO v. gr. de CHRISTO, Homine, &c. porrô, illius, Chriſti, duabus Naturis,Unione perſonali,conſeqventibus, de Statibus & Officiis ejusdem diverſis, regio vel regno ejus in ſpecie,ſimilibus, de Novisſimis,qvæ ita vulgò vocant,aliis aliisq́;, &c. Qvæ inter, licet ordine naturæ & doctrinæ,haud dignitate tamen videtur poſtremum occupare locum id Dogmatis, qvod agit de Παραδόσει, *Traditione* (ſub finem Mundi) *Regni CHRISTI in manus DEI Patris ſui*, nec non Ὑποταγῇ, *Subjectione Ejusd. DEO Patri ſuo, & conſeqq*. Qvod,ut videtur,Novisſimorum omnium novisſimum, (cum tempore, vel potiùs ſub finem ſeculi hujus) & ſpecialisſimum Fidei Capitellum dum animo ſedet, DEO volente & adjuvante,in timore Ejus & Chriſti,mediatoris unici noſtri, advertere altiùs aliqvàm & examinare, ingemiſcimùs meritò atq; ante omnia cum D. Auguſtino: *Adeſto nobis DEUS, qvem qværimus,*

qvem diligimus, qvem corde & ore & qvâ valemus virtute laudamus & adoramus, Amen.

II. Ut ne verò extra oleas, qvod proverbio dicitur, vagemur, qvin potius intra metas & cancellos certos decurramus, acturi sumus: 1. De Fidei Capituli hujus in Scriptura S. Sede propriâ. 2. de Verborum ejus Loci Σημειώσει & proprietate. 3. antecedenter & obiter q. de Christi, mediatoris, statibus duobus, exinanitionis & exaltationis. 4. Officiis tribus, prophetico, sacerdotali & regio, & qvorsum hoc nostrum spectet dogma. 5. de regio officio, vel potiùs regno Christi in specie, & ejus varietate vel distinctione. 6. de Novissimis sex, vulgò ita dictis, & heic circa eadem notatu dignis. 7. in specie jam & constitutivè, sic dicendo, de Παραδόσει vel *Traditione* (sub finem Mundi) *Regni CHRISTI in manus DEI Patris sui* 8. Ὑποταγῇ vel *Subjectione Ejusd. DEO Patri suo.* 9. *de DEO* Αὐταυτῷ *nunc & tunc*, vel *Omnia in Omnibus*. 10. deniq; Definitionem f. Descriptionem qvalemcunq; dabimus (summariè) simul & semel hujus nostri novissimorum novissimi Fidei articuli.

III. Jam, Primum qvod concernit, *Sedem* hujus seu dogmatis seu Fidei articuli præsentis nostri in Scripturâ S. (de fide enim, vel Objectum & ipsum certum & speciale vel partiale Fidei, & adæqvatum idem, si non plus ultrà, id esse dogmatis, nemo, credo, dubitabit facilè, seqventia si attendat saltim nobiscum, de qvibus in decursu mox præsentis tractationis nostræ totius) non extat idem in Vet. fœdere vel Instrumento θεοπνεύστῳ, feraci satis & aliàs qvidem mysteriorum divinorum; qvemadmodum etiam in Novo non alibi (qvantum sciam; vel certè explicitè & hisce exertis verbis: nisi trahere huc fortè velis; Psal. CX. 1. Actor. III. 21. similia ll. unde de singularitate & dignitate iterùm ejusdem certò constat.) qvàm apud D. Paulum, vas DEI electum, & qvidem in ejusdem *Epistolâ ad Corinthios* exscripta *priore, Cap. XV. comm. 24. & seqq.*

IV. Scripserat nimir. Apostolus divus Philippis (Macedoniæ) per Stephanã, Fortunatũ & Achaicũ, vid. Epist. cap. XVI. v. 17. & sub fin. vel clausulã ejusd. anno circiter Messiano LV. ad Corinthios (Corinthus Achaiæ urbs celebris, imò caput, & Ciceroni pro lege Manil. Lumen totius Græciæ, inter duo maria Jonium & Ægæum in Isthmo Poloponnosiaco sita: qvo in loco annum integrum & sex menses substitit docuitq; gentium Doctor: Vid. Actor. XVIII. 1. seqq.) Epistolam hanc, mixti generis qvidem, ex majore tamen parte suâ διδασκαλικὴν, ἐλεγκτικὴν, & præcipuè διορθωτικὴν vel ἐπανορθωτικὴν. Cujus in parte postremâ (qvinta vel sextâ) differit *de Resurrectione mortuorum*, contra dubitantes Corinthiorum nonnullos, nisi ἀντιλέγοντας & ἐμπαίκτας qvoscunqve. Hujus dum in Novissimi doctrinâ versatur, injectâ item mentione *Mortis* & *Finis Mundi* hujus, nunc vers. vel comm. 24. & seqq. divini plenus Spiritûs (conf. Hilar. de Trin. lib. XI. ad h. l. Theophyl. hîc) in seqventia fertur expressa verba:

I. ad Corinth. Cap. XV. vers. 24.

Εἶτα τὸ τέλος, ὅταν παραδῷ τὴν βασιλείαν τῷ Θεῷ καὶ πατρί, ὅταν καταργήσῃ πᾶσαν ἀρχὴν καὶ πᾶσαν ἐξουσίαν καὶ δύναμιν.

Vers. 25. Δεῖ γὰρ αὐτὸν βασιλεύειν, ἄχρις οὗ ἂν θῇ πάντας τοὺς ἐχθροὺς ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ.

Vers. 26. Ἔσχατος ἐχθρὸς καταργεῖται ὁ θάνατος.

Vers. 27. Πάντα γὰρ ὑπέταξεν ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ. ὅταν δὲ εἴπῃ, ὅτι πάντα ὑποτέτακται, δῆλον ὅτι ἐκτὸς τοῦ ὑποτάξαντος αὐτῷ τὰ πάντα.

Vers.

Verſ. 28. Ὅταν δὲ ὑποταγῇ αὐτῷ τὰ πάντα, τότε καὶ αὐτὸς ὁ υἱὸς ὑποταγήσεται τῷ ὑποτάξαντι αὐτῷ τὰ πάντα, ἵνα ᾖ ὁ Θεὸς τὰ πάντα ἐν πᾶσι.

Verſio Syriaca.

Verſ. 24. ܘܗܝܕܝܢ ܢܗܘܐ ܫܘܠܡܐ : ܡܐ
ܕܡܫܠܡ ܡܠܟܘܬܐ ܠܐܠܗܐ ܐܒܐ.

Verſ. 28. ܘܡܐ ܕܐܫܬܥܒܕ ܠܗ ܟܠ :
ܗܝܕܝܢ ܐܦ ܗܘ ܒܪܐ ܢܫܬܥܒܕ ܠܗܘ
ܕܫܥܒܕ ܠܗ ܟܠ. ܕܢܗܘܐ ܐܠܗܐ
ܟܠ ܒܟܠ ܀

Verſ. 24. *Et tunc erit finis: cùm tradiderit regnum DEO Patri, &c.*

Verſ. 28. *Et cùm ſubjecta fuerint ei omnia, tunc ipſe Filius ſubjicitur ei, qui ſubjecit ei omnia, ut ſit DEUS omnia in omnibus.*

Verſio Arabica.

Verſ. 24. ثُمَّ ٱلْإِنْقِضَاءُ إِذَا دَفَعَ ٱلْمُلْكَ إِلَى
ٱلْإِلٰهِ وَٱلْآبِ ❀

Verſ. 28. فَإِذَا خَضَعَ لَهُ ٱلْكُلُّ حِينَئِذٍ وَٱلْإِبْنُ
نَفْسُهُ يَخْضَعُ لِمَنْ أَخْضَعَ لَهُ ٱلْكُلَّ لِيَكُونَ
ٱلْإِلٰهُ فِي ٱلْكُلِّ كُلَّ شَيْءٍ ❀

Verſ. 24. *Deinde finis, cùm tradiderit regnum DEO & Patri &c.*

Verſ. 28. *Cum autem ſubjecta fuerint ei omnia, tunc & ipſe Filius ſubjicietur ei, qvi ſubjecit ipſi omnia, ut ſit DEUS in omnibus omnis res.*

Verſio Æthiopica.

Verſ. 24. וַמַחַלְקְתָהַ : צַאַמַ : חֲוַפַי : אֶגְזִאַבְחֵרְ : מַנְגְסְתָ : אַבְ :

Verſ. 28. וַיְאַמַ : כֹלְ : גַנַיַ : לתֹ : יְאַתַ : עְלַתַ : וַלְדֻנ : יְגַב רַזַ : אַגְנַיַ : לתֹ : כַמַ : יכן : אֶגְזִאַבְחֵר : בַכֹל : וַלְעַלַ : כֹלְ :

Verſ. 24. *Et finis ejus* erit, *qvùm acceperit* oblatum iterùm *DEUS regnum ſuum, Pater, &c.*

Verſ. 28. *Et qvùm omnia ſubjecta fuerint ei, iſto die Filius ſubjicietur ei qvi ſubjecit ei* omnia, *ut ſit DEus in omnibus, & ſuper omnia.*

Vulgata Latina.

Verſ. 24. *Deinde finis, cùm tradiderit regnum DEO & Patri, &c.*

Verſ. 28. *Cum autem ſubjecta fuerint illi omnia: tunc & ipſe filius ſubjectus erit illi, qvi ſubjecit ſibi omnia, ut ſit DEus omnia in omnibus:*

B. Lutheri Germanica.

Verſ. 24. Darnach das Ende/ wenn Er das Reich GOtt und dem Vater überantworten wird/ ꝛc.

Verſ. 28. Wenn aber alles Jhm unterthan ſein wird/ alsdenn wird auch der Sohn ſelbſt unterthan ſein / dem/der ihm alles unterthan hat. Auf das Gott ſey alles in allen.

V. Nunc, in anteceſſum & majoris conciliandæ themati huic noſtro

noſtro iudicis ergò, Textûs Apoſtolici adſcripti penſiculabimus ſi non omnia & ſingula, extantiora tamen ejusdem qvædam verba, & qvæ ad rem faciunt maximè præſentem. Ἔιτα infit adeò primum gentium Doctor (ἔπειτα unde & μετέπειτα) poſteà, deinde, tùm (temporis & ordinis voculæ) ܗܝܕܝܢ Syrus, τότε, tunc, ثُمَّ Arabs, tùm, deinde: Æthiops nudè ወ Copulativ. adhibet. Reſpicit nimir. antecedentia vel antegreſſa, Reſurrectionem mortuorum verſ. 12. ſeqq. & modum & ordinem ejusdem, verſ. 20. ſeqq. non excluſo item adventu (ad judicium) verſ. 23. vel potius judicio extremo & univerſali: q. dicat εἶτα, tunc, deinde, poſt hæc, peractis hiſce, &c.

VI. Τὸ τέλος, finis: Univerſaliter terminus, exitus, extremum cujuscunq; rei: (in ſenſu planè alio, de qvo infrà ſuo in l. Hilarius lib. XI. de Trin. ad h. l. *finis eſt immobilis manendi, ad qvẽ tendimus ſtatus*) id in qvo unaqvæq; res terminatur, vel *Finis* terminationis rei, ut loqvuntur. Qvorſum ap. Virgilium Æneid. lib. 1. *qvem das finem rex magne laborum*: & *Imperium ſine fine*, apud Plin. lib. XII. cap. 4. Syrus: ܚܪܬܐ *finis*, *noviſſimum*, ab ܐܚܪ Ebr. אחר *diſtulit*, &c. ܐ literâ occultatâ nonnunq. pro more, imò abjectâ, ut hoc loco: qvo de alibi. Arabs: قَضَى in Conjug. 7. *abſolvi*, à اِنْقَضَى ab اِنْقِضَاء vel قَضَاء *finire*, *terminare*, *abſolvere*. Æthiops: מחלקת & alibi חלקת utrumqve: *finis*, *conſummatio*, חלקת עלם *finis*, *conſummatio ſeculi*, à rad. חלק *deficit*, *eſſe deſiit*, &c. Hoc loco: *Finis Mundi* vel *ſeculi hujus* absqve dubio; abolitis omnibus, ita hoſtibus omnibus, qvorum ultimus *Mors*, verſ. 24. 25. & 26. immò finis *Regni*, verſ. 24. expreſsè: *qvum, qvando tradet* vel *tradiderit regnum*, &c. *qvum ſuſtulerit omne imperium*, &c. conf. omninò Hilar. ſuprà cit. l. Ex qvo apparet non in ſenſu abſoluto vocabulum τέλος vel *Finis* hic ſumi,

ſed modificato & reſtricto ad regnum Chriſti (vel potiùs certum regiminis modum :) qvod qvale verò ſit & intelligatur hoc loco, de eo infrà dicendi locus erit.

VII. Ὅταν παραδῷ (alii aliiq; Codices παραδιδῷ) *qvando tradet* vel *tradiderit.* Παραδίδωμι in ſenſu generali eſt idem ac *tradere, dare, præbere, porrigere :* item, *dedere* ſeſe vel aliqvid : item, *tradere per manus q.* vel ad poſteritatem transmittere qvid : deniq; in malam partem idem ac *prodere* , unde *proditor* , verräther. Hinc legimus pasſim : *tradere* ſeſe, aliqvem , provinciam , regionem, urbem, civitatem, arma, inimicitias, palmam, lampada, &c. Et *Traditio*, Verbale (παράδοσις) Ciceroni in Topic. XIII. idem ac *Abalienatio* eſt. Gellio v. libr. XIII. c. 21. idem ac *doctrina*, ore & ſcriptis qvæ traditur. Porrò, παράδοσις τῆς πόλεως vid. ap. Thucid. lib. III. & *Deditionis* formulam apud Livium deſcriptam, in deditione Collatiæ, (oppidi juxta Romam) lib. I. ab urbe, &c. Ex qveîs videre eſt inter πολύσημα referendam hanc Vocem : conf. & ſi placet, Flacium in Clave, Part. 1. ad voc. *Tradere*, B. Meiſner. Phil. Sobr. Part. II. ſect. I. qvæſt. 1. pag. m. 8. ſeqq. nec non Concordantias ipſas in N. Teſtam. B. Schmidii, aliorum. Cæterùm hoc loco notes mox contra Photinianos, qvi alienum in textum hunc noſtrum infarcire ſenſum ſatagunt : non omnimodam vel qvalemcunq; (ac ſemper) abalienationem vel amisſionem alicujus rei denotare : qvod vel loca teſtantur, Matth. XI, 27. cap. XXV, 20. ſeqq. XXVIII, 18. &c. Nobis interim hoc loco erit idem (conf. qvantum V. Inſtrum. Esdr. VIII, 36. & Neh. II, 9. &c.) ac *dedere, deponere, reſtituere, reſignare, præſentare*, &c. B. Luther. Uberantworten. Syrus ſuo ܫܠܡ *implevit*, & in Paël & Aphel: *finivit, complevit*, item *tradidit* utitur : ܡܐ ܕܡܫܠܡ *qvùm* (Particip.) *tradens*, vel *tradiderit.* Arabs ſuo : دَفَعَ *trudere, pellere*, item *tradere.* Æthiops: דפי vel חופי potiùs, qvod cùm Arab: دَفَعَ familiã ducit. Qvo de vide infrà: pluribus §. IX.

VIII.

VIII. Τὴν βασιλείαν. Syrus: ܡܠܟܘܬܐ. Arabs: ملكوت vel ملكة. Æthiops: መንግሥተ Nom. auct. utrinq; , à rad. מנגש regnavit: familiam ducit cum Ebr. נָגַשׂ exegit tributum, נֹגֵשׂ exactor, qvi jus habet exigendi tributum, item נָגִיד dux, princeps. Qvo in, regnum, reg. potestatem, dominatum &c. significare adeò, omnes consentiunt. Cæterùm qvalia hæc vel qvale regnum h.l. intelligatur, altioris aliqvàm indaginis, & de eo infrà potiùs atq; pluribus.

IX. Τῷ Θεῷ καὶ Πατρί: DEO & Patri. Syrus absq; copula: ܠܐܠܗܐ ܐܒܐ Arabs iterùm cum hac: إلى ٱللّٰه وٱلأب De Æthiope paulò post. Idem autem est DEO & Patri, qvod DEO Patri, vel qvi idem est Pater suus aut Christi. Ita eodem fere modo legimus Ephes. V, 5. ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Χριστοῦ καὶ Θεοῦ, in regno Christi & DEI: qvanqvàm aliis aliud hic qvidem placeat: In Græco utrobiqve scil. unus tantùm est articulus, respectum qvi ad utrumq; habet idemq; complectitur; alterum ut alterius sic sit ἐξηγητικόν q. Alii aliiq; ex Ebraismo hunc loqvendi modum petunt conciliantq; : de qvo suo loco. Æthiopem qvod concernit, hic in casu recto hæc verba reddit: DEUS Pater, ut suprà vidimus. Cæterùm nos adeò thema ופי, vel cùm hoc non in usu sit, potiùs תופי, contra mentem versionemq; Anglicani Oper. autoris non in significatu primo tradendi, offerendi aliqvid, sed altero & ipso usitato non minùs, Accepit oblata (Vid. & conf. si placet, Job. Ludolfi Lex. Æthiop. ad hanc voc. col. 328.) sumsimus commodùm (nisi insigniter fallimur) reddidimusq; ita suprà; qvâ ratione sensui Apostolico, qvantum materiale, ut loqvimur, nihil omninò decedit, planaq; potiùs sunt omnia.

X. Vers. 28 Ὅταν δὲ ὑποταγῇ αὐτῷ τὰ πάντα, τότε καὶ αὐτὸς ὁ υἱὸς ὑποταγήσεται. Ὑποτάσσω, τῶ, ομαι, subjicio, subigo, subjugo, item pareo ut subjectus, & in sensu contra-

 rio,

rio, ἀνυπότακτος, *non, minimè subjectus, liber* & qvi ſui juris eſt. Syrus: ܫܥܒܕ, qvadriliter. ex ܫ proſthetico & ܥܒܕ *ſervivit, ſervituti ſubjecit*, & in communi, *ſubjecit*: Arabs: خَضَعَ *humilis, obſeqvens, ſubmiſſus, ſubjectus fuit,* item *ſubjecit, ſubdidit*, مُخْضَعٌ *ſubjectus*, & خُضُوعٌ *ſubjectio*, ταπείνωσις, &c. Æthiops: גני eodem modo: *humiliter ſe alicui ſubjecit, ſuperiorem agnovit.* הגני *humiliatio*, &c. Ὑποταγὴ (notes h. l.) *Subjectio* vel *ſubordinatio* in genere vel communi aliis aliisq; eſt (1) Violentiæ ſive Coactionis: Vid. Luc. X. v. 17. & 20. (2) alia ſpontanea ſ. liberæ voluntatis, Obedientialis: qvalis v. gr. inter Eccleſiam & Chriſtum: Epheſ. V. 24. inter mulierem & Virum: Ibid. verſ. 22. & 24. Col. III, 18. inter ſubditos & Magiſtratum, Rom. XIII, 1. Tit. III. 1. (3) alia æqvalitatis, paritatis & Ordinis, v. & conf. Johann. X, 30. 1. Corinth. XIV, 32. Gal. II, 5. Tandem qvalis hoc loco iterùm intelligenda ſit, vid. infrà ſuo loco.

XI. Nunc, hiſce ſic præmiſſis, pedem promoturi aliqvantùm propiùs ad inſtitutum noſtrum, præſupponimus in arduo illo ac ſummo de CHRISTO, Mediatore unico, de qvo hîc & nunc nobis, ſive articulo ſive myſterio, primùm duarum Naturarum, divinæ & humanæ, exiſtentiam & veritatem, dehinc harum Unionem perſonalem & communionem, qvin περιχώρησιν mutuam & imperſcrutabilem, porrò Idiomatum ſive proprietatum realem & veram ac debitam communicationem, qvantum communem poſſeſſionem, uſurpationem & denominationem, &c. at verò *de Statibus Chriſti duobus*, qvos vulgò & rectè numerant, ut vel aliqvid, paucis, prælibemus operæ pretium fuerit. Jam, horum Statuum fundamentum hoc eſt: Chriſtus, Mediator unicus noſter, qvantum Opus redemptionis generis humani, ut ſubiret illud rectè, opus erat, ut eſſet DEUS ſimul & Homo: DEUS, ut hâc ratione DEO ſatisfieri poſſet pro hominibus, Homo vicisſim

ſim,ut hoc modo, (verbo) pati moriq; pro illis poſſet. Porrò, perſonalis illa Unio & communio duarum naturarum, præſertim verò conſeqventium communicatorum invicem, & ad carnem vel maximè, Idiomatum divinorum, ex. gr. Omnipotentiæ, impaſſibilitatis, immortalitatis, ſimilium, uſurpatio exerta excluſiſſent laudatum non ſatis Opus illud redemptionis, pasſionem, crucifixionem, mortem, &c. niſi ſecretò talia habuiſſet qvandoqve Mediator, occultâſſet qvodammodo, retractis, intermisſis vel non uſurpatis illis, ſed tantùm qvotiescunq; viſum Illi eſſet. Vid. Matth. XVII. 1. ſeqq. cap. XXI, 2. Marc. XIV, 3. Johann. XVIII, 6. &c. De hâc re ſummariè loqvitur Apoſtolus, in epiſt. ad Philipp. cap. II. v. 6. ſeqq. *Chriſtus* (ὑπάρχων) *cum eſſet in formâ DEI* (ἐν μορφῇ Θεοῦ, in ſtatu, conditione divinâ, non οὐσία præcisè, κυρίως & hoc loco) *non duxit eſſe rapinam, æqvalem, parem eſſe cum DEO.* verſ. 7. *ſed ipſe ſe, ſemetipſum* (ἑαυτὸν ἐκένωσε) *inanivit, exinanivit, formâ ſervi acceptâ* (μορφὴν δούλου λαβών) *factus in ſimilitudine* (ἐν ὁμοιώματι) *hominum, & habitu*, (σχήματι) *inventus ut homo.* verſ. 8. *Humiliavit ſemetipſum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis.* conf. loca 2. Corinth. VIII, 9. Ebræor. XII, 2. &c. Κτήσει adeoq; & actu primo, ut loqvimur in ſcholis, (ita balbutire licebit deceatq;) hæc atq; talia ſecundùm carnem Chriſtus habuit qvidem ſibi communicata idiomata divina, (*in ipſo enim tota inhabitat plenitudo DEItatis, σωματικῶς corporaliter*, Coloſs. II, 9.) ſed Χρήσει, actu ſecundo non ſemper eadem exercuit. Alii inter Uſum *occultum*, etiam in ſtatu ſummæ exinanitionis, *& manifeſtum* diſtingvunt. Alii *Uſum ad Creaturas & Univerſum hoc & ad propriam carnem ſuam*, &c. Et verò, exinanivit ſeſe Mediator, Chriſtus, qvidem in primo incarnationis ſuæ momento, à puncto primo conceptionis (imò, in ſenſu alio, eccleſiaſtico & improprio, DEUS λόγος ante hæc, inclinatione primâ factâ miſerationis ſuæ erga genus humanum: *humiliatio Incarnationis*) usq; ad punctum iteratæ vivificationis; maximè tamen & propriiſſimè

in

in pasſione ſuâ, crucifixione, morte & ſepulturâ. Omniaq; hæc facta eſſe intelligendum eſt ſecundùm naturam humanam, non divinam vel utramq; : contra Calvinianos, Sohnium, Tom. II. p. 246. Sadeel. pag. 192. alios. Cœterùm, hic Chriſti Status ad præſens, qvo de mox, dogma noſtrum non facit præcisè.

XII. Alter potius eſt *Exaltationis* vel *Majeſtaticus Status*, qvo de hîc & nunc nobis : juxta qvem Opere redemptionis peracto in his terris, Exinanitionis ſtatu depoſito, communicatis carni ſuæ, qvo de ſuprà (iterùm actu ipſo & κτήσει) Idiomaσι divinis & majeſtate ſummâ, plenariè, plenariè dico, uſus eſt. Iterùm, facta verò hæc Exaltatio eſt, non ſecundùm divinam vel utramq; naturam, ſed humanam tantùm (qvippe Excelſus minimè, ſed caro excelſi exaltata eſt.) contra Calvinianos : Calvinum ipſum, Zvvinglium, Bezam, Sohnium, Bullingerum, Oecolamp. alios. De hoc vicisſim Statu Apoſtolus dicto ſuprà loco, ad Philipp. II. v. 9. ſeqq. *Qvapropter & DEUS illum* (ὑπερύψωσε) *ſuperexaltavit, & donavit illi nomen ſuper omne nomen* verſ. 10. *Ut in nomine Jeſu omne genu flectatur cœleſtium & terreſtrium & infernorum* verſ. 11. *Omnisq́; lingvâ confiteatur Jeſum Chriſtum eſſe Dominum in gloriam DEI Patris :* confer & v. ll. Epheſ. I. 20. ſeqq. &c. Cœterùm gradus vel actus faciunt vicisſim rectè Status (Exaltationis) hujus tres : 1. Præteritus & certi temporis. 2. Præſens & perpetuus : & 3. Futurus, hic qvidem cùm certi vicisſim temporis, tùm etiam perpetuus : Præteritus iterùm triplex : 1. *Deſcenſus Chriſti ad inferos*, idemq; verus & realis 2. *Reſurrectio à morte*, & qvidem vi & virtute carni ſuæ divinitùs communicatâ. 3. *Aſcenſio in cœlos*, eodem modo, at verò non ſucceſſiva aut localis &c. II. Exaltationis actus præſens & perpetuus eſt *Seſſio ad dextram DEI* vel ad modum dextræ DEI, iterùm non ſecundùm divinam vel utramq;, ſed humanam naturam tantùm, eademq; iterùm non mundana & localis, ſed ſpiritualis & illocalis : v. & conf. Pſal. CX. 1. Matt. XXVI. 64. Luc. XXII. 69. Epheſ. I. 20. ſeq. Ebr. I. 3. ſeqq. cap. VII. 25. NB.

Horſum

Horſum etiam pertinet *Intercesſio Chriſti* pro nobis. Pſalm. CX. 4. Rom. III. 25. cap. VIII. 34. 1. Joh. II. 1. Notes verò, (ut modò & ex parte jam dictum) hic actus ſemper durans & perpetuus eſt: conf. loca modò cit. & adde Dan. VII, 14. & 27. Luc. I. 33. Ebr. I, 8. 1. Petr. I. 11. Apocal. XI. 15. III. Actus Exaltationis Chriſti futurus, idemqve partim certi temporis partim perpetuus eſt: (1) *Reſuſcitatio mortuorum* (ſecundùm utramq; hic qvidem naturam: non excluſis interim etiam DEO Patre & Spiritu S: Opus ad extra:) conf. & v. Joh. V. 28. cap. VI. 39. ſeq. Rom. XIV, 9. 1. Corinth. XV, 21. ſeq. &c. (2) *Judicium extremum & univerſale* (& ipſum certi temporis: item, ſecundùm utramq; naturam, & eodem modo, ut ſuprà) v. Dan. VII, 13. ſeq. Matth. XVI, 27. Joh. V, 27. Act. XVII, 31. &c. (3) *Executio ejusdem*, qvantum reprobos & diabolos *ad Infernum*. (4) Pios & electos verò *ad Vitam æternam* (eodem modo) v. Joh. V, 29. Phil. III, 21. Apoc. I, 18. (5) *Conſummatio ſeculi* ſ. cõflagratio Mundi (eodem modo, ut ſuprà) V. Dan. II, 45. Matt. XXVIII, 18. 1. Cor. XV, 24. Horſum nunc (6) ut infrà pluribus videbimus, referimus etiam παράδοσιν ſ. *Traditionem regni* Gratiæ) *Chriſti*, nec non ὑποταγὴν ejusdem &c. De qvibus, ut dictum, pluribus ſuis in locis. Qvalia partim certi temporis ſunt, (ſic dicendo) ſive actus ſive noviſſima, partim perpetua & in æternum durantia, duratura.

XIII. Porrò, *Officia* Jeſu Chriſti, Mediatoris unici, (qvalia notes bene mox, non ſecundùm alterutram: Error Oſiandri & Stancari, aliorum: ſed utraq; naturam exercuit, exercet:) *tria* vulgò & rectè numerant: 1. *Propheticum*: qvod vel maximè conſiſtit in Voluntatis divinæ de ſalute noſtrâ in propriâ perſonâ in his terris revelatione, nec non miniſterii eccleſiaſtici inſtitutione: vid. Devter. XVIII, 18. Jeſ. LXI, 1. Matth. XVII, 5. Joh. I, 18. Actor. I, 3. ſeq. Epheſ. IV, 11. &c. Cœterùm idem non proximè & præcisè facit ad inſtitutum vel thema noſtrum, de qvo in præſenti, potiùs hoc illud abſolvit, evacuat & evertit: qvemadmodum infrà videbimus pluribus. II. *Sacerdotale*: conſiſtens & in plenariâ divinæ Legis

im-

impletione,& pœnarum pro nobis vel peccatis noſtris perpeſſione, & adeò activâ & paſſivâ perfectiſſima in his terris ſatisfactione,demùm interceſſione apud Patrem cum in his terris tùm cœlis indeſinente. Vid. Pſal. CX. 4. Jeſ. LIII, 1. ſeqq. Matth. I, 21. cap. V, 17. Joh. I, 29. Rom. V, 19. VIII, 34. Ebr. II, 17. VII. 26. ſeq. IX, 17. & 15. X, 11. ſeqq. Cœterùm & ipſum hoc mediationis officium non directè & per omnia facit ad dogma noſtrum præſens, utpote idem maximâ ſui ex parte de præterito, & qvantùm rem vel actum, etſi non effectum tranſiens. III. *Regium* Chriſti Officium: qvo Chriſtus θεάνθρωπος (totus) omnia qvæ in cœlo & terrâ ſunt, maximè Eccleſiam ſuam, præſentiſſimè hic & nunc & in omnem æternitatem, potenter, gratiosè & gloriosè gubernat (gubernaturus eſt) ac tuetur. Vid. Pſal. II, 6. ſeq. Pſ. LXXII, 8. CX, 1. Jeſ. IX, 1. ſeqq. Dan. VII, 14. Matth. XVIII, 20. XXVIII, 20. Johann. XVIII, 36. Eph. I, 22. ſeq. IV, 9. Coloſs. II, 15. Apocal. XI, 45. XII, 10. &c. Atq; idem porrò, maximè qvantũ regnandi modũ certum hìc & nunc in his terris, in eccleſiâ & inter hoſtes hujus & ſuos (Chriſti) propiùs aliqvantũ facit ad dogma & inſtitutũ noſtrũ, qvod utpote hunc (modum dictũ) evacuat, tollit ac deſtruit: uti mox infrà & ſuo loco videbimus.

XIV. Cœterùm Regium hoc officium ſuum Chriſtus θεάνθρωπος exercet (ut ex parte jam qvidem & implicitè dictum) vel *Universè* vel *ſpeciatim*. Universè (Regnum vocant *Potentiæ*) qvatenus omnia, omnia hìc & nunc in cœlo & in terrâ, unà cum Patre & Spiritu S. potenter moderatur & gubernat: Vid. Pſal. VIII, 7. ſeqq. CX, 1. Dan. VII, 14. Matth. XXVIII, 20. Johan. V, 17. ſeqq. Epheſ. I, 20. ſeqq. Ebr. II, 8. &c. Speciatim Chriſtus Regnum ſuum exercet in Eccleſia: (non excluſis interim & hìc Patre & Spiritu S.) eademq; hìc in his terris & hâc vitâ adhuc militante (*Gratiæ* vocant regnum, & eſt adeoq; idem inchoans vel inchoativum) vid. Matth. XVIII, 20. cap. XXVIII, 20. Marc. XVI, 15. Luc. XXIV, 47. Actor. I, 8. Eph. I, 22. IV, 11, ſeqq. Apocal. I, 13. ſeqq. vel aliqvando poſt hanc vitam & in cœlis futurâ triumphanteq; : (regnum *Glo-*

riæ vocant & majeſtaticum, atqve eſt idem conſumens vel conſummatum) cujus prægustum qvendam præbuit hic in monte Thabor diſcipulorum ſuorum qvibusdam, Matth. XVII. Marc, IX. & Luc. IX. adde & conf. Matth. XXV,34. & 46. Johann. V,29. &c. Illud & iſtud & hoc pertinebunt(ſua qvodlibet certâ ratione & modo) ſuo tempore & loco,ſic dicendo, ad inſtitutum vel præſens thema noſtrum. Anteqvàm hinc abeamus, operæ pretium fuerit notare probè iterumqve,vel potius repetere è ſuperioribus §. præced. XIII. Officium Chriſti regium,maximè Potentiæ & Gloriæ (qvæ coalitura q. ſunt demùm) eſſe foreq; æterna perpetuumq; durantia,absq; omni fine vel ævo: id qvod evincunt loca Scripturæ S. qvamplurima, absqve contradictione Loci hujus noſtri Paulini ad Corinth. Vid. jam & conf. 2.Sam. VII, 12. ſeqq. 1. Chron. XVIII,11.ſeqq. Pſal. LXXXIX,35. ſeqq. Jeſ.IX, 7. Dan. II, 44. cap. VII,14. & 27. Luc.I,33. Ebr. I, 8. 2.Petr. I, 11. Apocal. XI, 15, XII,10.&c.

XV. Cœterùm ſpecialiùs aliqvantùm & enucleatiùs talia (præcedentia)qvamvis paucis,conſiderabimus.Regnum Chriſti Universè ſpectatum, *Potentiæ*, qvod & aliàs certo reſpectu *eſſentiale*,*naturale & providentiæ* qvibusdam, & cum Patre & Spiritu S. habet commune,conſiſtit,(ut ex parte jam dictum) in gubernatione univerſali cœli & terræ, porrò in ſpecie ſubjectione omnium creaturarum, præſertim hoſtium ſuorum & eccleſiæ, qvos coërcet,reprimit,punit,&c. vid. loca ſuprà cit. Speciatim, & qvidem regnum *Gratiæ* conſiſtit in ſpeciali operatione gratiæ in eccleſiâ militante adhuc in his terris, ejusd. per Verbum,Legis & Evangelii,vocatione,Sacramentorum diſpenſatione, converſione per pœnitentiam & fidem, juſtificatione, ſanctificatione, conſervatione & confirmatione finali,miniſterii eccleſiaſtici inſtitutione & conſervatione, intercesſione apud Patrem, ſimilibus: conf. & hìc loca ex parte ſuprà cit. §. XIII. ſeq. Regnnm deniqve *Gloriæ* alterius illius vitæ & triumphantis eccleſiæ ſub capite Chri-

ſto conſiſtit in reſuſcitatione mortuorum, judicio extremo & univerſali, executione ejusdem, reproborum & diabolorum damnatione, fidelium & electorum glorificatione, conſummatione ſeculi, ſimilibus: tandem, qvibus accedit Traditio regni Chriſti (qvo de hîc & nunc, vel mox nobis) item Subjectio ejusdem (citra læſionem omnem divinitatis officiiq; regii laudati æterniqve) ut ſit adeò hoc modô DEUS tandem omnia in omnibus.

XVI. At verò anteqvam & hinc obeamus, ab Officio Med. Chriſti regio, (de cujus unius modi certi traditione deinceps, ut non ſemel dictum) illius, pro rei circumſtantiâ & diverſo concipiendo noſtro modo, dabimus diſtinctiones & varietates qvasdam: qualia præſenti inſtituto lucis conciliandæ ergò non parùm facient. Prima itaq; diſtinctio facilè illa eſt: inter *regnum DEI* & *regnum Chriſti*: qvalia pro diverſo reſpectu differunt & non differunt: differunt non re vel οὐσιωδῶς, ſed per modum certum rei tantùm. *Chriſti* qvippe *regnum* & ipſum verè divinum vel DEI regnum eſt, & exercet idem ut θεάνθρωπος ſub certâ regiminis formâ, maximè in his terris vel eccleſiâ militante: *DEI regnum* huic contradiſtingvitur, ſuo certo modo, qvatenus futurum vel maximè idem adhuc in alterâ vitâ vel in eccleſiâ triumphante: unde & non raró idem regnum *DEI cœleſte*, item *regnum cœlorum &c.* dicitur. Huc, ad præſentem diſtinctionem accommodant præſertim locum Epheſ. V. 5. II. Regnum Chriſti ſumitur vel *abſolutè* & in ſenſu, ſic dicendo, *vago*, qvatenus omne vel totum Chriſti regium officium denotat & exhaurit: vel *reſtrictè*, ad certum regnandi modum v. gr gratiæ regnum per Verbum & ſacramenta, in Eccleſiâ hîc militante. III. Chriſti regnum aliud eſt *eſſentiale*, vel ſic dicendo, *naturale & univerſale*: qvod habet ex ſeſe, vel obtinet unà cum Deo Patre & Spiritu S. jure naturæ, ut Filius DEI, in omnem æternitatem. 2. aliud *perſonale*, *ſpeciale*, *mediatorium & oecumenicum*; *donativum* alii item indigitant: qvod habet non ex ſeſe, ſed per adoptionem naturæ humanæ in ὑπό-

ςασιν

στασιν τοῦ λόγου & jure mediationis: ipsâ re vel reverâ qvod tamen aliàs divino & essentiali non omninò inferius, sed & ipsum verè divinum. IV. Per vocabulum Regni aliqvando intelligitur ipse *regnandi modus*, vel metonymicè *regni subditi*, qvibus imperatur. V. Tandem, aliter consideratur vocabulum regni vel regiminis *ratione Christi*, mediatoris ipsius, tanqvam suæ Ecclesiæ *Capitis*: aliter ratione *membrorum* suorum: aliter demum ratione *Corporis mystici totius*, &c. Καὶ ταῦτα. Atqve hæc qvidem hactenus.

XVII. Porrò, cùm de Novissimorum omnium novissimis lege instituti nostri, non sine tamen præviâ Scripturâ S. agendum nobis sit, operæ pretium fuerit antecedenter item ex illorum (Novissimorum) doctrinâ qvædam paucis prælibare. Ac primùm jam vocabulum τῶν Ἐσχάτων sive *Novissimorum*, Ebr: אַחֲרִית vel אַחֲרוֹן plur. אַחֲרֹנִים ἔγγραφον idem & ex suâ parte, (fateamur) sive biblicum est. Sumiturq; vel *localiter*, sic dicunturq; τὰ ἔσχατα τῆς γαίης vel γῆς, ἔσχατα θαλάσσης &c. Apoc. I,8. cap. XIII,47. &c. vel *temporaliter*, atq; idem vicissim vel in sensu *latiore*, pro novissimis vel qvibuscunq; Gen. XLIX, 1. Devt. IV, 30. cap. XXXII, 29. Jes. II, 2. &c. vel in sensu *strictiore* & modificato pro novissimis mundi vel seculi hujus, aut hominum etiam, h. e. morte temporali, similibus, &c. conf. Dan. II, 28. cap. VIII, 19. & 26. Sirac. VII, 40. cap. XXXVIII, 21. Johann. VI, 39. seqq. XI, 24. XII, 48. &c. Cœterùm porrò si *de Numero* qværatur nunc certo & definito Novissimorum in Scripturâ S. expressim de- vel circumscripto; utut novissimi Finis Mundi v. gr. mentio fiat qvidem Dan. cit. l. cap. II, 28. Mortis porrò tempor. Sirac. dictis ll. VII, 40. XXXVIII, 21. Judicii extremi, Joh. VI, 39, XI, 24. XII, 48. &c. attamen illum (dictum determinatumq; eorundem numerum) frustrà fortasse fuerit ex hâc elicere vel eruere velle omninò. Unde Ecclesiastici Scriptores, cùm veteres tùm recentiores, in enumeratione illorum non parùm item variant, alii dum plura, alii pauciora, eademq; alio atq; alio ordine recensent. Vid. & conf. si pla-

cet, vel unum, ſolum B. Gerhard. LL. T. VIII. §. 7. ſeqq. Communiter, ut notisſimum, *Qvatuor* numerant Novisſima, hoc incluſa diſticho:

Mors tua, judicium poſtremum, gloria cœli,
& dolor inferni ſunt meditanda tibi.

Cœterùm cùm contractior hic ſit numerus, omisſis v. gr. utpote Reſurrectione mortuorum & conſummatione ſeculi, *Sex* adeò numerant porrò eorundem, hoc ferè modo: Μικρεσχάτων: 1. Mors hominis temporalis. 2. Reſurrectio mortuorum. 3. Judicium univerſale. 4. Damnatio ſ. mors æterna. 5. Glorificatio ſ. vita æterna. Μακρεσχάτων novisſimum: Mundi deſtructio. Ac de Ordine (temporis) recto priorum qvinq; novisſimorum, τῶν Μικρεσχάτων, nemo facilè dubitabit, ultimi unius, ſolius & ipſe conſtabit facilè, ſi inter mundi conflagrationis vel conſummationis ſeculi initium & complementum diſtingvamus. Demùm, ab aliis alisq; hiſce (ſuperioribus) tanqvàm annexa, vel certè antecedenter & conſeqventer talia, item annumerantur hæc adhuc: Adventus Chriſti ad judicium, ſigni filii hominis in cœlis conſpectio, regnorum & principatuum terrenorum deſtructio, hoſtium Chriſti & eccleſiæ ſubjugatio, in ſpecie mortis temporalis plenaria abolitio, miniſterii eccleſiaſtici abrogatio, creaturæ à ſervitute corruptionis liberatio, novi cœli & terræ creatio, piorum & electorum æterna DEI glorificatio, contrà reproborum & diabolorum planctus & blaſphematio, ſimilia hiſce. At verò talia (poſteriora) ut ex parte jam ſuprà dictum, ut antecedenter vel conſeqventer talia, ſex ſuperiùs enumeratis novisſimis annumerari facilè poſſunt: qvanqvàm & horum qvædam noſtro inſtituto aut veriùs themati Paulino involvantur: ut deinceps videbimus.

XVIII. Jam, Dogma hoc noſtrum tergeminum qvod concernit, qvò de ſuprà in frontiſpicio hujus noſtræ tractationis: 1. *Traditio Regni Chriſti.* 2. *Ejusdem ſubjectio:* & 3. *DEus omnia tunc in omnibus* (maximè tamen prius, imò & cœtera) utut (fateamur)

com-

commodùm, vel certò tamen ſuo modo, inter annexa & conſeqventia ſex ſuperiorum Novisſimorum fortaſſe numerari, & præſertim ad horum poſterius, τῆ Μακρεγκόσμε, Conſummationem nempe ſeculi vel mundi hujus, referri utcunq; posſint: (cum nemine enim hìc acriter & ἀσπονδεὶ litigabimus) attamen videri poterat per naturam rei aliisqve de circumſtantiis non contemnendis, de qvibus mox, non tantùm idem (dogma) diſtinctum (reapſe) & peculiare à reliqvis, ſed etiam omnium omninò novisſimorum novisſimum, poſt ſex illa ſuperiora, habendum ita, enumerandum ſalutandumq; eſſe. Neq; verò porrò addubitabimus nos valdè idem ſeqvente confirmare utcumqve Syllogiſmo: Qvodcunq; dogma, vel qvod eò redit: Qvæcunqve, prævià qvidem Scripturâ S. (1) per rei intrinſecam naturam ſuam, formaliter, ſic dicendo (2) intervallo certo, ſi non æqve & per omnia temporis, (3) at certè Ordinis inter ſeſe differunt & diſtingvuntur, illa verè vel reverà & rectè pro diſtinctis habentur, ita concipiendaq; ſunt. Sed, Traditio regni Chriſti in manus DEI Patris ſui, unà cum annexis vel conſeqq. Subjectione ejusdem &c. differunt & diſtingvuntur à reliqvis ſex: (morte temporali, reſurrectione mortuorum, judicio extremo & univerſali, damnatione reproborum, & glorificatione electorum, immò & deſtructione mundi fineq; ſeculi hujus) illo ſuprà dicto triplici modo:

E. ut diſtincta reverà, vel ut actus ab hiſce peculiares & diſtincti omninò habendi reputandiq; ſunt.

Major penes nos plana, niſi inſigniter fallimur, videbitur. Ita Minor: neq; enim in præliminaribus juſto prolixiores erimus, atqve infrà, cùm ad qvidditatem & qvalitatem dogmatis hujus noſtri deventum fuerit, eadem luce ſuâ radiabit facilè. Qvicqvid tamen ejus ſit, notes mox & hìc loci, qvomodo notanter Apoſtolus diſtingvat, & porrò de-vel circumſcribat qvodammodò: primùm reſurrectionem mortuorum, verſ. hujus capitis (1. ad Corinth. XV.) 12. ſeqq. modum verò & ordinem ejusdem verſ. 20. ſeqq. non

exclu-

excluſo aut poſthabito adventu (ad judicium) verſ. 23. porrò, Finem ipſum, τὸ τέλος, ſive intelliges jam hujus ſeculi, vel certè regni, aut veriùs regnandi cujusdam certi modi; inſuper traditionem regni Chriſti in manus DEI Patris ſui, & viciſſim, per ἀντιμετάληψιν qvandam, (notes) deſtructionem regnorum & principatuum mundanorum; omnia hæc verſ. 24. porrò ſubjectionem hoſtium Chriſti & eccleſiæ verſ. 25. & tandem plenariam mortis (temporar. imò æternæ, qvantum pios & electos ultimi omnium hoſtis Chriſti & piorum) abolitionem verſ. 26. Utiq; enim & extra controverſiam hæc tria poſteriora (deſtructio regnorum mundanorum, ſubjugatio hoſtium, ultimiq; horum, mortis, plenaria abolitio) anteceſſura erunt, (deſtruenda omninò prius) extraditionem ſolemnem illam regni Chriſti, ſubjectionem ejusdem, DEUMq; tunc, verbo, omnia in omnibus. At verò jam tandem, qvô de, (ut ſuprà modò dictum nobis) cum nemine acriter litigabimus, (ex parte qvippe hìc cognoſcimus, non toto: cernimusq; nunc per ſpeculum & per ænigma 1. Corinth. XIII, 9. ſeqq.) aut cuiqvam ſive veterum ſive recentiorum præjudicare volumus vel debemus: modò, qvô de mox nunc, conſtet, & qvid & qvale ſit vel intelligatur, regnum Chriſti, qvod traditurus modò ſit DEO Patri ſuo, & qvalis hæc futura ſit traditio, &c.

XIX. Seqvitur nunc Dogmatis id noſtræ Fidei partiale & particulare Paulinum, nempe I. *Traditio Regni Chriſti in manus DEI Patris ſui.* Εἶτα τὸ τέλος, infit nimir. gentium Doctor, ὅταν παραδῷ τὴν βασιλείαν τῷ Θεῷ καὶ πατρί: *Deinde finis, quum tradiderit regnum DEO & Patri ſuo.* Qvo de qværi modò vel nunc poterat: 1. *Qvis traditurus ſit?* 2. *Qvid & qvale regnum, qvod traditurus ſit?* & 3. *Cui traditurus ſit?* Cœterùm anteqvam de qvæſitis hiſce noſtram exponamus mentem, præſtabit Veterum nec non recentiorum DD. percepiſſe, qvin imò adſcripſiſſe ſententias.

XX. Et primo qvidem loco è ſeculo poſt Chriſti nativitatem qvarto (Anno CCCLV.) producitur nobis D. *Hilarius*, non

Arela-

Arelatensis, sed Pictavorum in Galliâ Aqvitan. Episcopus, libr. de Trin. XI. ad h. l. (Edit. Basil. 1570. D. LXX. p. 173. seqq. Cæterùm prolixus atcunq; in hâc rerum sit D. Pater, σπορεσκῶς qvodammodò mens ejusdem investiganda nobis fuerit. Ita autem ille qvantum Finem, Traditionem & Subjectionem simul & semel: *Sed fortè Subjectio illa, regniq; traditio, deinde finis: aut naturæ abolitio, aut potestatis defectio, aut divinitatis infirmitas sit intelligenda. Plerią; enim ita volunt, ut aut dum subjectus omnibus Deo subjicitur, per conditionem subjectionis DEus non sit: aut dum regnum tradit non sit in regno. aut dum finis est, finem ejus defectio consequatur. Congruum itaq; est, omnem super his Apostolici sermonis sensum retractare: ut singulorum qvorumq; dictorum ratione exposita atq; edita, sacramenti totius capaces per veritatis intelligentiam prabeamur.* Et post alia aliqva. *Tria igitur secundùm dictorum ordinem in qvæstionē vocantur primum finis, deinde traditio, deinde subjectio: ut per hæc aut desinat Christus in fine. aut regnum tradendo non teneat. aut extra DEI naturam DEO subjectus existat. Ac primum noscendum est, non hunc ordinem apostolicæ esse doctrinæ. Primum enim regni traditio est, deinde subjectio, postremò finis.* Et iterum p. 175 *Et qværendum nunc ante omnia est; an finis defectio sit, an traditio amissio sit, an subjectio infirmitas sit. Resp. Finis h. l. non significat defectionem, qvia finis est immobilis manendi ad qvem tendimus statum. Deinde traditio regni non est amissio, qvod ex ipsius Christi verbis probatur, ait enim omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Ergò si dedisse caruisse est Pater qvoq; iis caruit qvæ dedit: sed Pater tradendo non caret. Igitur nec Filius intelligi potest cariturus his, qvæ Patri tradit. Subjectio non significat infirmitatem vel subjectionem tanqvam servitutem dominatui, sed dispensationem temporis & sacramenti.* Et pag 178. *Tradet ergò regnum DEO Patri, non utiq; tanqvam tradens potestate concedat, sed qvod nos conformes gloriæ corporis sui facti, regnum DEI erimus. Non enim ait, tradet suum regnum, sed tradet regnum, effectos nos per glorificationem corporis sui regnum DEO traditurus. Nos itaq; tradet in regnum, secundum hoc in Evangeliis dictum: venite benedicti Patris mei, percipite præparatum vobis regnum à constitutione mundi. Fulgebunt ergo justi sicut Sol in regno Patris eorum. Tradet enim Filius DEO regnum eos, qvos vocavit in regnum, qvibus & beatitudinem hujus sacramenti spopondit dicens Beati mundo corde, qvoniam ipsi DEUM videbunt. Regnantes itaq. aderunt tunc, & tunc ipsi in regno Patris tanqvam sol fulgebunt. Tradet autem*

DEO *Patri regnum, & tunc quos regnum Deo tradiderit, Deum videbunt. Quod regnum ipse testatus est, dicens ad Apostolos: In vobis enim est regnum Dei. Regnans itaq; regnum tradet, &c.* Hactenus Hilarius.

§. XXI. Succedet porrò huic D. *Aurel. Augustinus*, augustus pater, Hipponensis Episcopus, (seculo qvinto, anno circiter CCCC XX.) Operum Tom. III. libr. & ipso de Trin. I. cap. 8. Edit. Basil. clↄ Iↄ LXIX. col. 247. *Nec sic arbitremur Christum traditurum regnum Deo & Patri, ut adimat sibi. Nam & hoc qvidam vaniloqvi crediderunt.* Et paulò post: *Quid ergò est, cum tradiderit regnum Deo & Patri: qvasi modò non habeat regnum Deus & pater: sed qvia omnes justos in qvibus nunc regnat ex fide viventibus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, perducturus est ad speciem, qvam visionem dicit idem Apostolus, à facie ad faciem: ita dictum est, cum tradidit regnum Deo & Patri: ac si diceretur, cum perduxerit credentes ad contemplationem Dei & Patris. Sicut enim dicit, omnia mihi tradita sunt à Patre meo, & nemo novit Filium, nisi Pater, & nemo novit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Tunc revelabitur à Filio Pater, cum evacuaverit omnem principatum & omnem potestatem & virtutem, i.e. ut necessaria non sit dispensatio similitudinum per angelicos principatus & potestates & virtutes &c.*

§ XXII. Porrò *Theophylactus*, Bulgarorum Archi-Episcopus, seculo nono, circiter anno DCCC LXXX. ad h. l. (ed. Basil. clↄ Iↄ XL. p. 68.) ita: *Duo regna Scriptura novit, alterum qvidem vendicationis & usurpationis, alterum vero creationis. Creationis igitur nomine in omnes Græcos, Judæos, ipsos dæmones, ac nolentes imperium exercet. Omnium vero fidelium dominatur, qvi suapte sponte subjiciuntur Christo, vendicationis ratione, h. e. qvo Deos sibi proprios & familiares reddat, & suo per verbum regno accenseat. De hoc itaq; regno dicit Scriptura: postula à me & dabo tibi gentes: & data est mihi omnis potestas. Hanc tradit Patri, h. e. transigit strenuè & perficit. Veluti rex qvispiam bellum filio suo commiserit adversum gentes, qvæ defectionem sint molitæ, ut eos gubernat. Confecto itaq; bello, domitis & subactis rursum gentibus, tunc dicitur bellum tradere patri, h. e. submonstrare, qvod delegatum sibi opus perfecerit. Ait itaq; Paulus, qvod simul atq; omnia subjecerit Filius, tum finis sit. Tum enim perfectè Christus super nos regnat.* Hactenus Theophylactus.

XXIII. Subveniet huic *B. Lutherus* in h. l. Christus wird den Glauben und das verborgene Wesen beyseit thun / und die jetzen darstel-

len für GOtt den Vater/ und uns also offenbährlich setzen in das Reich/ das er angerichtet hat das wir ihn sehen werden ohne deckel und tunckel Wort.

XXIV. Porrò D D. *Chemn.* LL. part. I. art. de Deo Filio. p. m. 65. *Regnum ipsum per se non cessabit, sed modus regnandi, sc. per fidem, Verbum & Sacramenta mutandum innuit. Sistet enim nos DEO, ut sine omni velamento in specie, de facie ad faciem DEum videamus. Ibi propriè vocabitur regnum DEI: & Christus, qvia DEus, non excludetur ab illo regno. Nam & nunc qvidem etiam est regnum DEI: propriè tamen vocatur regnum Christi. Qvia DEus in abscondita suâ majestate absconditus latet, & Christus per involucra verbi & sacramentorum administrat regnum.*

XXV. *Flacius Illyr.* in Clav. part. 1. ad voc. *Regis* p. m. 1023. *Christus homo & Ecclesiæ caput. DEI respectu dicitur DEO subjectus, mundi vero respectu regnare: qvia scil. ministerio suo defunctus & ad dextram Patris evectus, omnem potestatem accepit in cœlo & in terrâ: qvâ ratione Rex cœli & terræ designatus est, sed ita, ut DEus per eum hæc omnia administret: qvo rursus respectu DEO subjicitur. Positum est autem illud Christi regnum tum in gubernandis fidelibus, ut magnificè describit Apostolus Eph. 4. tum in debellandis adversariis, inter qvos etiam Mors disertè numeratur ab Apostolo, ut scil. ad resurrectionem mortuorum illa descriptio accommodetur. Debellatis igitur cunctis ad unum hostibus, sublatisq; omnibus illis gradibus, qvi illi regno & administrationi serviebant, fidelibus deniq; victoriam adeptus, & capiti suo prorsus conjunctis: cessabit sc. illud regnum, qvod inferiorum respectu obtinebat: neq; nulla cum Christi imminutione, sed summa cum gloria: ut si qvis præses provinciæ re omni prosperè confectâ domum rediret ad triumphum. Tunc igitur Christus homo jam integer, i. e. cum membris suis omnibus (qvæ vocat Apostolus Christi πλήρωμα, Eph. 1.) DEO plenè subjicietur, ut omnes plenè DEI gloria impleantur: omnes inqvam, nullo medio interposito velo, DEI contemplatione felices ac beati in æternum perfruantur. Nam qvò propior erit ista subjectio, eò major erit felicitas. Interim verò Christus semper eminebit tùm qvia DEus est, Patri in omnibus cum Spiritu S. æqvalis: tum qvia Ecclesiæ caput, sed qvæ tum erit cum eo cohærens: ac proinde non tam illi subjecta, qvam cum eo conjuncta, idq; prorsus gratis.*

XXVI. *Dn. D. Tilem Hesbus.* & *Ægid. Hunn.* Comment. in h. l. *Qvæ de regno tradendo dicuntur, non de regno ipso absolutè sed de certo regiminis modo & administratione, qvæ Verbi & Sacramentorum sceptro fit in medio inimico-*

micorum, interpretantur, quod secundum quid resignaturus & tradíturus sit Patri regnum, quia & militia illa definet adversus inimicos regni, status Ecclesiæ militantis cessabit, & ministerium Verbi ac Sacramentorum abrogabitur, regnabit autem nihilominus unà cum Patre & Spiritu S. Christus quà DEus, in unitate essentiæ & quà homo in dextra gloriæ in omnem æternitatem.

XXVII. *Andr. Osiander* Comment. ad h. l. *Cum tradiderit regnum, i. e. post beatam resurrectionem non amplius erunt mundana imperia: nec Christus Ecclesiam per ministerium Verbi & Sacramentorum amplius gubernabit: sed Ecclesiam plenè liberatam ab omni malo sistet Patri suo cælesti.*

XXVIII. *B. Balduinus* in Comment. ad h. l. *Dicitur autem Christus tradere regnum DEO & Patri non respectu divinitatis: Ita enim regnum habet æternum cum Patre & Spiritu S. neq; etiam intelligitur hic regnum potentiæ, quod in omnes creaturas habet, neq; illud unquam deficiet, sed regnum gratiæ in Ecclesia. Hoc ei commissum est à DEO Patre, quando constitutus fuit Rex super montem Sion, Ps. 2. Administravit illud cum in terris esset prædicando verbum, edendo miracula, patiendo & moriendo, & postquam in cælum ascendit, administrat illud etiamnum sedens ad dextram DEI, intercedens pro nobis, dans dona Ecclesiæ, & constituens verbi præcones, qui virtute verbi divini expellant diabolum, & convertant corda filiorum ad patres, & corda patrum ad filios. Et hæc administratio regni sui durabit usq; ad novissimum diem: ibi finis erit prædicationis, finis sacramentorum, finis intercessionis Christi, finis etiam fidei: tunc tradet regnum suum DEO & Patri, quando Ecclesiam suam sistet coram, immaculatam & ab omni malo prorsus liberatam perfectis & peractis omnibus iis, ob quæ filius DEI à Patre missus fuerat in mundum. Ibi finem habebit regnum gratiæ, & incipiet regnum gloriæ: ubi DEus divitias suas beatitudinis electis suis coràm intuendas dabit.*

XXIX. *Wolfg. Frantz* b. m. in de Interpr. Script. S. Orac. CXIII. m. p. 673. *Cæterùm pro meliore intelligentia notandum, quod quando pater Filium præficit operi Redemptionis & regno Ecclesiæ, ipso illo sese non abdicaverit.* Et paulo post: *Filius igitur est legatus & vicarius Patris, & caro ut vicaria Patris omnia necessaria accepit ad expeditionem suam. Ut legatus igitur & vicarius Patris regnabit, usq; ad mortem destructam, ibi tradet regnum vicariè administratum Patri suo.*

XXX. *B. Gerhardus* LL. Tom. IX. de extr. Judic. §. 112 p. m. 168. seqq. *Hæc traditio regni non est accipienda sensu Photiniano, quasi per eam abstra-*

tum sit spirituale & cœleste Christi regnum. Scrib. in miscell p 6, id qvod pugnat cum expressis Scripturæ dictis æternitatem regni Christi adstruentibus Dan VII, 14 Luc I 33 &c. sed intelligenda: τὸ [illegible] de modo administrandi regnum, qvalis in hac vita observatur. Non cessabit ipsum regnum, sed modus regnandi postqvam Christus subjecerit sibi omnes hostes, desinet eo modo regnare qvo nunc regnat, in medio scil hostium. Et paulò post: *Vel intelligendum à [illegible], qvod Christus in die novissimo electos, in qvibus regnum spirituale & cœleste obtinet, Patri cœlesti sistet &c.*

XXXI. *Dn D. Calovius* super Aug. Conf. in Tom. II, c. [illegible] § 28; p 1243. *Tradere dicitur Christus regnum DEO, tùm Ecclesiæ præsentatione, in conspectum Patris producet partim ob κρίσιν, ut testetur munus sibi commissum fideliter expeditum partim ob [illegible], ut ad plenam gloriæ fruitionem admittatur electorum cœtus; tum regni DEI plenâ restitutione & perfectione, tùm mediatorii regiminis abdicatione, regniq; gratiæ, qvoad modum regiminis abdicatione, qvâ & militiæ finis imponetur, nec per Verbum & Sacramenta Ecclesia amplius administrabitur, ubi locus nullus regenerationi, justificationi, renovationi, sed tantùm æternæ Electorum glorificationi. Ex his autem minimè inferri potest totalis regni Christi, & qvidem omnis abdicatio & depositio. sed si depositio aliqva infertur, ea solùm in modo regnandi, certæ regiminis formæ cessatione consistit; qvum æternùm regnare debeat Christus secundùm Scripturam.*

XXXII. *Mich. Walther.* B. m. in harm. Bibl. ad Jes. c. IX. pag. 50. *Non agit Apostolus de regno Christi in se, qvod nunqvam depositurus est. sed de statu gubernationis suæ qvem mutabit post finem mundi, ubi non amplius reget electos sceptro Verbi prædicati. Nec infirmitates aliqvas illi habebunt, qvibus hîc eos exercet Sathan Hæc sententia constat ex Eph V 26 ubi Christus dicitur mundare Ecclesiam suam lavacro aqvæ, ut exhiberet eam gloriosam sanctam & immaculatam: illa mundatio fit in hac vita, & pertinet ad Ecclesiam militantem, exhibitio seqvetur in Ecclesia triumphante, & hæc erit Regni traditio, qvando electos suos ex potestate Diaboli ereptos sistet æterno Patri, à qvo in mundum missus est ut tale regnum sibi compararet.*

XXXIII. *Biblia* tandem *Vinnariensia*: Wenn er den Glauben und das verborgene Wesen beyseitethun/und die Seinen/als seine Reichsgenossen/für GOtt dem Vater darstellen/und sie offenbarlich in das Reich führen wird/ das er im Himmel anrichtet/ das sie ihn sehen werden ohne deckel und dunckele wort. Verba ipsissima fere B. Lutheri. Vid. supra. §. XXIII.

XXXIV. Jam nostram [illegible] quidem [illegible] sub-jungemus quoq; sententiam, vel qualemcunq; illam. Ac [illegible] nunc quæritur, juxta superiora: *Quis traditurus sit?* Resp. Jesus Christus, idemq; heri & hodiè & in secula, Ebr XIII,8. Θεά [illegible] ille, inqvam, Deus ex substantiâ Patris ante secula genitus, Homo ex substantiâ matris in seculo conceptus & natus: idemq; consideratus qvantum ad unionem personalem & communionem (περιχώρησιν) duarum naturarum divinæ & humanæ mutuam, realem, debitam, intimam & imperscrutabilem, communicatis porrò ἰδιώμασι utriusq; naturæ invicem & debito modo (qvò de alibi rectiùs & pluribus) ad communem possessionem, usurpationem & denominationem: proporrò Idem non in statu suæ exinanitionis factæ in hoc tempore, sed Exaltationis & majestatico post hoc: & qvidem in specie superatis adeò hic, in his terris, Officio suo prophetico & sacerdotali: item, Descensu ad inferos, resurrectione à morte, ascensione ad cœlos, sedens idem ad dextram Dei, resuscitatis prætereà mortuis, exercito judicio extremo & universali, exequutioni datis impiis, reprobis & diabolis ad infernum, piis & electis ad vitam æternam, sub finem deniqve consummationis mundi vel seculi hujus; hic, hic dico tradet traditurusve est: notes adhuc verò, Idem non secundum utramq; naturam, neq; etiam secundum divinam, juxta qvam utpote nihil in tempore accepit, potiùs omnia, omnina habuit, Rom. IX,5. Coloss. II,9. 1. Joh. V,20. sed qvicqvid accepit datumq; ipsi est factum secundùm carnem vel humanam naturam, Psal. II,6. Dan. VII,14. Matth. XXVIII,18. Joh III,35. cap. XIII,3. Ebr. II,8. 1. Petr. III, 22. &c. adeoqve & hoc, hoc dico modo ac ratione, alio nullo traditurus est tradetq;.

XXXV. Porrò, nunc *qvid traditurus est*, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς [illegible] εἰς τοὺς αἰῶνας, Rom. IX,5.) Christus? Resp. τὴν Βασιλείαν, *Regnum*. Et *qvale* verò *hoc*? & *qvalis traditio illa*? Resp. τὴν Βασιλείαν, dico, Regnum, non *Potentiæ* & *Gloriæ*: qvalia habet habiturusq; est [illegible] cum Deo Patre & Spiritu S. jure duplici, altero naturæ & ex se, ut Filius Dei æternus, altero mediationis vel adoptionis naturæ humanæ [illegible] suam, in omnem æternitatem. Conf. & vid. loca supra cit. §. XIII. & XIV. 2. Sam. VII, 12. seqq. 1. Chron. XVII, 11 seqq. Psal II, 6. seqq. Psal. LXXII,8. LXXXIX,35. seqq CX,1. Jes. IX,7. Dan. II,44. cap. VII,14. & 27. Matth. XVIII,20. c XXVIII,20. Luc. 1,33. Joh XVIII,36. Ephes. I,22. seq. cap. IV,9. Col. II,15. Ebr. I,8. 2. Petr. I, 11. Apocal. XI,15. XII,10. &c.

Sed *Gratiæ* maximè. *Quale verò hoc?* Resp. Qvod exercuit variè qvidem: I. Universè & in communi, per totum Mediationis suæ Opus, â primo Gratiæ, miserationis, inclinationis, humiliationis & incarnationis suæ momento, usq; ad ultimum extraditionis hujus suæ, qvâ de hic & nunc, punctum, antecedenter, ἐμμέσως & conseqventer, in statu utroq; & exinanitionis & exaltationis, officio verò triplici prophetico, sacerdotali & regio, inclusis scil. includendis & exclusis excludendis. II. In specie v.gr. per totam Vitam suam, in ministerio publico, Passione, morte, sepulturâ, &c. III. Specialissimè verò in operatione ipsissimâ Gratiæ suæ specialis in Ecclesia militante adhuc in his terris: ex gr. ejusdem per Verbum, Legis & Evangelii, Vocatione, ministerii ecclesiastici institutione, sacramentorum legitima dispensatione, conversione hominum per pœnitentiam & fidem, justificatione, sanctificatione, conservatione & confirmatione finali, similibus. De qvibus omnibus Mediator ipse expressè & summatim qvodammodò Johan. XVII. 4. *Pater, ego te glorificavi in terra, Opus* (regnum gr.) *consummavi qvod dedisti mihi, ut facerem*: & in cruce ipsâ, Joh: XIX, 30. *Consummatum est*. Hæc atq; talia, dico, regni id commissum sibi jam olim â Deo Patre, qvin totâ S S. Trinitate, inclusâ non exclusâ, sic dicendo, & ipsâ ὑποστάσει suâ, administratum verò â sese tradet, tradet tunc dico.

XXXVI. Porrò, *qvalis* verò *traditio hæc?* Resp. (1) de præterito & præsenti, qvâ actum. (2) non, de futuro, effectû vel fructum (3) non totalis vel absoluta aut simplex, i. e. non totale & omne regnum suum, ut suprà ex parte jam dictum, tradet. (4) sed κατά τι, secundùm qvid: (5) qvod habuit scil. concreditum sibi instar feudi cujusdam: salvo jure potestatis αὐτοκρατορικῆς, item conferentis totiusq; sic dicendo, Deitatis: (6) abolitione plerorumq; suprà dictorum, ex gr. Verbi prædicationis, Legis, Evangelii, Sacramentorum, ministerii totius Ecclesiastici, Fidei, conversionis, regenerationis, justificationis, sanctificationis, crucis, similium: devictis item Sathanâ, carne, mundo, peccato & deniq; morte: (7) abdicatione adeò factâ vel resignatione hujus œcumenici & particularis regni hactenus administrati (8) restitutione verò, declaratione & testificatione qvodammodò solenni tunc ejus expediti in cœlis & coràm Deo, totâ SS. Trinitate, angelis & sanctis omnibus: (9) præsentatione talium, & præcipuè sub sese, Capite tanqvàm, etiam suorum vel electorum, (totius Ecclesiæ militantis hactenus) in triumpho qvasi qvodam solenni.

(10) de-

(10) deniq; perfectione eorundem omnium (tum complementa sua) & in meliorem multò perfectissimumq; statum (gloriæ) translatione & commutatione, ad beatissimam unà cum Deo, gloriosam & sempiternam in posterum communionem, claram ejusdem & plenariam visionem & fruitionem &c. &c.

XXXVII. Membrum qvintum, immediatè præcedens, (anteqvam hinc abeamus) declaramus adhæc utcunq; Metaphorâ qvâdam à rebus desumptâ humanis, in hunc ferè modum: Rex qvidam Filium suum cum imperio, imò potestate non tantùm vicariâ ac delegatâ, sed αὐτοκρατορικῇ, in aliqvam sui regni provinciam mittit, ad compescendum rebelles: qvibus feliciter peractis hic domum reversus tradit Patri imperium dictum, h. e. idem resignat ac restituit. B Frantzius alio simili rem declarare satagit, studet, de Interpret. Script. S. Orac. CXIII. sub finem pag. m. 674. *Romæ duo, inqvit, seu bini semper præsidebant Consules æqvali prorsus potestate. Sæpè autem necessitate rebellantium hostium urgente, unus vel alteruter cum certo exercitu mittebatur in longinqvam provinciam, cum plenissimâ & omni potestate. Hæc ejus profectio erat profectio vicaria, & durabat illa forma sui regni, donec post debellatos hostium exercitus triumphabat, ubi cum Senatu toto iterùm non tantùm in illos devictos, sed etiam in alios omnes Romani Imperii subditos usq; ad finem vitæ suæ dominabatur. Eodem pacto CHRISTUS missus ad debellandos hostes totius generis humani fungitur officio illo suo & tandem sistet totam Ecclesiam suo Patri, & sic tradet regnum Patri qvoad humanitatem suam, cum Patre ut antea regnabit in secula seculorum.*

XXXVIII. Membrum octavum & nonum, immediatè præcedentia his vero declaramus Scripturæ S. locis: dicens, vel diceta; tunc qvasi (περιπεποίηκα) CHRISTUS, ex Johan præsertim cap. XVII, 4. *Pater, ego te glorificavi in terra: opus* (regnum gr.) *consummavi, qvod dedisti mihi ut facerem.* vers. 6. *manifestum feci nomen tuum, qvos dedisti mihi selectos e mundo: tui erant & mihi dedisti eos, & sermonem tuum servarunt* vers. 12. *qvos dedisti mihi ego custodivi & nemo ex iis periit.* vers. 24. *Pater, qvos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut spectent gloriam meam, qvam dedisti mihi* & ex Ephes. V, 26. *Sisto tibi Ecclesiam ecclesiam gloriosam, non habentem maculam aut rugam aut qvicqvam ejusmodi, sed sanctam & inculpatam &c.*

XXXIX. Denum tertio. *Cui traditurus est Christus id regni?* Resp. tibi

ded

ἐν τῷ πατρὶ (verba textûs) vel Deo Patri, originis habito respectu, V. d. & conf. omnino supra §.IX vel potius vocabulo *Patris* absolute & essentialiter, non relatè & personaliter sumpto, conf. Jes. IX, 6. &c. hoc est, juxta consensum totius Scripturæ S.) Universæ SS. Deitati vel Triadi non excluso sese, Filio Dei, secunda SS. Trinitatis personâ, vel certè naturâ divinâ Filii Dei, &c.

XL. Atq; hæc hactenus de Extraditione Regni Christi in manus Dei Patris sui. Restat adhuc verò, ut antequam ad reliqva transitum faciamus, audiamus paucis matæologiam itidem præcipueq; Photinianorum & veterum recentiorumq;, alienum planè sensum, & huic nostræ declarationi contrarium, in hoc nostrum sive dogma sive thema inferentium. Utut enim qvidem Regium Christi officium vel Regnum Ejus satis speciosè describat Catechismus Racoviens. min. L. de Off. Christi reg. pag. m. 275. seq. (verba ipsissima: subdola pleraq; tamen) *qvod DEus eum suscitatum a mortuis & in cœlos assumptum, à dextris suis collocarit, eâ potestate in cœlis & in terra omni data & omnibus ipsius pedibus, se excepto, subjectis, ut fideles suos gubernare, tueri, & æternum servare possit:* & porrò Smalcius, de div. n. Christi, cap. 15. multus sit in hoc officio regio vel regno extollendo: attamen Socinus in miscell. p. 63. (secutus patrem suum Photinum, Vid. Nicephor histor. eccles. lib. IX. cap. 11. p. m. 401.) & præsertim Smalcius vicissim, in Refut. thes. Schopp. de Trin. pag. 34. add. Joh. Crellius, alii apud Dn. D. Calov. passim, expressè: *Regno Christi æterno durationem & certum terminum ac finem affigunt*, ex hoc loco nostro, 1. Cor XV, 24. Ita enim Smalcius alleg. loco: *Mutatio modi regnandi non est traditio regni. Nam & is regnum retinet, qvi modum regnandi mutat. Paulus autem ait Christum regnum traditurum, ita scilicet, ut finis ejus futurus sit: nam mox addit: oportet enim regnare donec ponat omnes inimicos sub pedes suos. Unde apparet finem regni futurum, &c.* & qvæ seqvuntur ibidem. Cæterùm exceptiunculis hisce cum jam satis responsum sit apud alios: B. B. Franzium, contra Smalcium ipsum, Gerhard. T. IX de extr. jud. §. 112. seqq. Jos. Stegmann. Photinian. f. Disp. *XXVII.* qvæst. 6. Himmel. Photin. Disp. IX. thes. 85. seqq. maximè verò maximè rev. nostr. Dn. D. Calovium super Aug. Conf. Tom. II. cap. V. contr. Crellium, passim, ita alibi: nos præsertim Val. Smalcium hac vice cum illo subtilis Jul. Cæs. Scaligeri monito (qvod succurrit modò nobis, nec extra rem planè, & in S. S. Scripturis non minùs valido) lib. 1. de plantis, &c dimittimus:

timus: *Ubi res*, inqvit, scribitq;, ex Aristotele ferme, *constat, si in primo adversetur res, qværenda ratio ejus, res non ignoranda vel neganda.* Subsumimus adeoq;: Constat autem res, qvæ sufficientissimè ex præclaris S. Scripturæ locis & dictis confirmata demonstrataqve est. Regnum Christi nempe æternum fore perpetuumq; duraturum, absq; omni fine vel termino, nimirum Potentiæ, maximè vero Gloriæ. V. & conf. superiora, præsertim §. *XIII. XIV.* & *XXI.* Ergo. Addo: Animi pietatis veritatisq; studiosi jam non fuerit laborare, qvomodo veritatem hanc (Regni Christi æterni) objectiunculis qvibusdam impugnare & suspectam reddere possit: (& qvorsum verò, nisi eò, alias lusus ille tuus, Smalci, in aucupandis vocabulis & phrasibus qvibusdam?) sed potiùs solicitum esse, qvomodo sua dubia ritè solvere dilueréq; possit: qvod a nobis, spero, in decursu superioris tractationis abunde factum.

XLI. Succedit nunc II. priori dogma secundum, novissimorumqve omnium novissimum & ipsum, ἡ ὑποταγὴ nempe vel *Subjectio CHRISTI DEO Patri suo.* ὅταν δὲ ὑποταγῇ αὐτῷ τὰ πάντα (verba ipsissima Apostoli, vers. 28) τότε καὶ αὐτὸς ὁ υἱὸς ὑποταγήσεται τῷ ὑποτάξαντι αὐτῷ τὰ πάντα! *Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc & ipse Filius subjicietur illi subjicienti ipsi omnia.* De qva & ipso qværi nunc vicissim poterat: 1. *Qvis ille subjiciendus?* 2. *Qvæ & qvalis futura illa subjectio?* & 3. *Cui subjiciendus sit?* At verò & heic antequam [illegible] qvæstionibus hisce nostram exponamus mentem vel qvalemcunq;, anteponemus iterum scripto ipso cùm Veterum tum recentiorum Scriptorum ecclesiasticorum effata circa hanc rem.

XLII. Ita ergò primùm *Origenes Adamantius* (seculo tertio, anno CC XXVI.) Tom. I. Homil. 7. in Levit. [illegible] Edit. Basil. cIↄ Iↄ. LVII. pag. [illegible] *Donec ego non sum subditus Patri, nec ipse dicitur Patri esse subjectus. Non qvo Ipse subjectione indigeat apud Patrem, sed pro me, in qvo opus suum nondum consummavit, ipse dicitur non esse subjectus. Sic enim legimus, qvoniam corpus sumus Christi & membra ex parte. Qvid autem est qvod dicit ex parte, videamus. Ego nunc (verbi gratia) subjectus sum DEO secundum spiritum, hoc proposito & voluntate: sed qvamdiu in me caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, & nondum potui carnem subjicere spiritui, subjectus qvidem sum DEO verum non ex integro, sed ex parte. Si autem potuero etiam carnem meam, & omnia membra mea in consonantiam spiritus trahere, tunc perfectè videbor esse subjectus. Si intellexisti, qvid*

sit ex

sit ex parte, & qvi sit ex integro esse subjectum, redi nunc & ad id, qvod de subjectione Domini proposuimus: & vide qvia cum omnes corpus ipsius & membra esse dicantur, donec sunt aliqvi in nobis, qvi nondum perfecta subjectione subjecti sunt, ipse dicitur non esse subjectus. Cum verò consummaverit opus suum & universam creaturam suam ad summam perfectionis adduxerit, tunc ipse dicetur subjectus in his, qvos subdidit Patri, & in qvibus opus, qvod ei Pater dederat, consummavit, ut sit DEus omnia in omnibus. Porrò Idem in Ps. XXXVI. Hom. II p. 50[illegible]. *Sed & Apostolus magna qvidem & mystica de subjectione significat dicens: Cum autem subjecta ei fuerunt omnia, tunc & ipse Filius subjectus erit ei, qvi sibi subdidit omnia. Audi ergo qvid dicit, qvia omnia necesse est Christo subjecta esse & tunc ipsum esse subjectum subjectione videlicet illa, qvam de Spiritu intelligi dignum est. Interim necesse est omnia Christo esse subjecta, ut tunc demum etiam ipse impletus omnibus & perfectis per subjectionem tanqvam victoriæ suæ hinc referens palmam, Patri dicatur futurus esse subjectus. Qvod nisi mysticè intelligatur, impium aliqvid sine dubio non advertentibus indicare creditur. Non enim putandum est qvod Filius DEI nunc qvidem Patri neqvaqvam subjectus sit, in novissimis verò temporibus, cum sibi fuerint cuncta subjecta, tunc erit & ipse subjectus, sed qvia omnia nostra in se recepit, & se esse dicit, qvi in nobis esuriat, seq; qvi in nobis sitiat, & nudus sit atq; æger, qviq; hospes, & qvi rursus in carcerem, & qvicqvid uni ex minimis suis factum fuerit, sibi factum esse testatur: conseqventer & meritò, cum unusqvisq; nostrum plenè & perfectè subditur DEO, ita ut in nullo prorsus inobediens pareat, se esse subjectum protestatur.* Conf. Eund. Tom. II. comment. in Matth. Tract. XXX. ad cap. XXIV. Matth. pag. 177.

XLIII. *B. Athanasius*, Archiepiscopus Alexandrinus (seculo 4. Anno CCCXXVI.) edit. Commelianæ cIɔ Iɔ cI. Tom. I. de Natur. Hum. suscept. p. 4[illegible]6. *Hoc de subjectione mundi, qvæ in carne ejus futura est, intelligitur. Nam de regno ejus divino Daniel effatus est his verbis: Et regni ejus non erit finis: qvemadmodum & Angelus virgini locutus est: Et regnabit in æternum & regni ejus non erit finis.* Et paulo post: *Qvæ verba hunc habent intellectum, qvum omnes Filii subjecti ejusq; membra reperti fuerimus, ac per eum geniti in Filios DEI, vos enim estis (inqvit) in C. J. tunc & ipse pro nobis subjicietur Patri, ut caput pro suis membris. Qvamdiu enim non subjecti sunt omnes ipsi tanqvam membra, caput nondum subjectum Patri suo esse videtur, expectans sua propria membra.* Porrò Idem Tom. II. contra Macedon. Dial. p. [illegible]8.

Nimirum quia Servi formâ sumpta, cum in DEI formâ fuerit, necessariò subjectionem quoq; servilis formæ assumens subjicitur pro nobis semetipsum Patri, non natura Deitatis, sed forma servilis, quam sumpsit unione. Et quid est, cur Filii naturam imminui censeas ex eo, quod subjicitur Patri? Et de assumpt. hominis p.414. *Hoc evidenter ad Deitatem divinitatis Iesu DEI non pertinet dictum, dum per ipsum cuncta sint facta, & semper illi fuerint subdita.* Addatur porrò *Hilarius* iterùm suprà cit. ll. § XX. Vide illum ibid.

XLIV. Prætereà *Gregorius, Nazianzenus* Episcopus, cognom. Theologus (Anno CCCLXX. Edit. Basil. M. D. LXXI. Orat. V de Fil. II. p. 14. *Huic adjungito & illam subjectionem, quâ Filium Patri subjicis. Quid aut? quasi verò non jam Patri quoq; subjectus sit. Omninò necesse est enim DEO subjici, quia ipse DEus est. Tanquam de pradone quodam & adversario verba facis. Verumenimverò sic mihi rem considera. Quemadmodum execratio propter me vocatus est, qui exsecrationem mei abolevit: itemq; peccatum, qui peccatum mundi tollit: pro veteri deniq; Adamo fit novus: sic etiam inobedientiam meam facit suam, tanquam totius corporis caput.*

XLV. *Epiphanius*, Salaminæ Cypri Episcopus (Anno CCCLXX.) Hæres. LXIX. (Edit. Basil. cIↄ. Iↄ. XLV. p. 384 seqq.) *Cum tradiderit regnum DEO & Patri, non opponitur illi, & regni ejus non erit finis: ambo qui talia de Domino & CHRISTO dixerunt omnium fide dignissimi sunt, Angelus Gabriel sanctus, & sanctus Apostolus Spiritu S. repletus: quidnam dixerint illi, qui vitalis negotii sunt ignari? Num quod contraria sibi ipsi sit Scriptura, quæ omnia semper verè aicit? absit. Sed velut ab initio diximus, præter assumptionem humanitatis, omnia rationi consentaneam consequent amb habent. Si enim tradit regnum tempori, ergò nunc neq; regnat. Si verò nondum regnat, quomodo refertur semper adorari ab Angelis & Archangelis ante adventum in carne, & in adventum in carne, velut Scriptura de ipso dicit, nimirum dum ait: Quum induxerit primogenitum in orbem terrarum: Et, adorent ipsum omnes Angeli DEI. Et rursus sedet in dextera Patris. Et flectet se ipsi omne genu cœlestium & terrestrium & inferorum.* Et paulò post: *Neq; enim tanquam velut tyrannidem gerens filius non subjectus est Patri, neq; subjectus est velut servus, & potestatem non habens, ex patre genitus ejusdem naturæ & ejusdem Deitatis. Neq; tunc juxta defectum, neq; juxta diminutionem neq; juxta necessitatem neq; juxta cessationem ut ipse dicunt subjicitur Patri. Sed velut filius genuinus unigenitus cum Patre recipiens simul in unam unitatem, & ad unum præmium honoris adducens omnem creaturam,*

rem, & docens suam Ecclesiam, ut sit DEus omnia in omnibus. Nam una est Deitas, una dominatio una glorificatio Patris Filii & Spiritus Sancti: ita ut decenter honoretur Pater a Filio, & Filius ut genuinus Filius, & Spiritus S. velut qui non alienus sit a Patre & Filio. Igitur regnat semper qui omnibus adoratur, &c.

XLVI. *S. Ambrosius*, Mediolanensis Episcopus (seculo 4. Anno CCC LXXIV. Edit Basil. clↄ. Iↄ. XXVII.) Tom. II. de Fide, lib. V. c. 6. p. 135. *Sicut Filius hominis, regnum accepit DEI Filius: ut Filius utiq; hominis etiam traditurus est qvod accepit: sicut filius hominis tradit: ergò & ut filius hominis subjectionem utiq; per conditionem carnis non per majestatem divinitatis agnosceret. Et tu ad contumeliam objicis, qvod ei subjecerit omnia DEus, cum audias, qvod regnum filius hominis DEO tradat. Et ut in superioribus diximus libris, legeris: Nemo venit ad me, nisi Pater attraxerit eum, & ego resuscitabo eum in novissimo die. Si literam seqvamur, vide magis atq; adverte unitatem honorificentia. & pater subjecit filio, & filius Patri tradet.* Idem, cap. VII. pag. 137 *Qvomodo igitur subjectum dicemus? Sabelliani & Marcionita dicunt, qvod hæc futura sit Christi ad DEum Patrem subjectio, ut in patrem filius refundatur. Si ergò ea erit Verbi subjectio, ut resolvatur in patre DEus Verbum, ergò & qvæcunq; Patri filioq; subjecta sunt, in patrem & filium resolventur, ut sit DEus omnia & in omnibus creaturis. Sed absurdum est dicere: Non igitur per refusionem subjectio. Alia sunt enim qvæ subjiciuntur, ea utiq;, qvæ creata sunt, & alius cui sit subjectio. Conticescant itaq; sævæ refusionis interpretes, atq; utinam & illi tacerent, qui qvoniam resolubile Dei Verbum, Dei sapientiam probare non possunt, infirmitatem divinitatis subjectioni ascribunt, dicentes qvod scriptum est: Cum autem subjecta illi fuerint omnia, tunc & ipse subjectus erit.*

XLVII. *S. Gregorius, Nyssenus* Episcopus, S. Basilii frater (anno CCC LXXX.) Edit. Paris. clↄ Iↄc V. Tom. I. Oper. Orat. ad h. l. pag. 570. post alia aliaq;: *DEI subjectio est perfecta & omni ex parte absoluta a malo abalienatio. Qvando ergò instar primitiarum omnes semoti fuerimus â vitio, tunc tota natura conspersio commista cum primitiis & effecta unum corpus boni tantum in se suscipiet principatum: & sic universo corpore nostra natura contemperato cum divinâ & ab interitu aliena natura illa Filii qvæ dicitur subjectio, fit per nos, cùm qvæ in ejus corpore rectè se gerit subjectio, ad eum referatur, qui gratiam subjectionis in nobis est operatus. Hic est ergò sensus dogmatis a magno Paulo traditi.*

 XLVIII.

XLVIII *Joh Chrysostomus* Episcopus Constantinopolitanus (Anno CCCXCVIII) Edit. Savil. ... XXII. Tom. V. Homil. ad hunc locum p. 3[illegible]. *Quaecunque ejusmodi dicta Christi tribuuntur, ea ad susceptam carnem pertinent* & quae alia seqvuntur, apud hunc. Vid. & lege Homil. totam.

XLIX *S Augustinus* Tom. III. de Trinit. lib. I cap 8 edit. Basil. fol 246. seq. *Illud autem qvod dicit Apostolus: Cùm autem ei omnia subjecta fuerint tunc & ipse Filius subjectus erit ei qvi illi subjecit omnia: Aut ideo dictum est, ne qvisqvam putaret, habitum Christi, qvi ex humana creatura susceptus est, conversum iri posteà in ipsam divinitatem, vel ut certius expresserim, deitatem, qvae non est creatura, sed est Trinitatis unitas incorporea & incommutabilis, & sibimet consubstantialis & coaeterna natura. Aut si qvisqvam contendit, ut aliqvi senserunt ita dictum: & ipse Filius subjectus erit ei, qvi illi subjecit omnia: ut ipsam subjectionem, commutationem & conversionem credat futuram, creaturae in ipsam substantiam vel essentiam creatoris, i. e. ut qvae fuerit substantia creaturae, fiat substantia creatoris: certè vel hoc concedit, qvod non habet ullam dubitationem, nondum hoc fuisse factum, cùm Dominus diceret: Pater major me est. Dixit enim hoc non solum antequam ascendisset in cœlum, verum etiam anteqvam passus resurrexisset à mortuis. Illi autem qvi putant humanam in eo naturam in Deitatis substantiam mutari atque converti, & ita dictum: tunc & ipse Filius subjectus erit ei, qvi illi subjecit omnia: ac si diceretur, tunc & ipse filius hominis, & à Verbo DEI suscepta humana natura commutabitur in ejus naturam. qvi ei subjecit omnia, tunc futurum putant, cum post diem Judicii tradiderit regnum DEO & Patri. Ac per hoc etiam secundùm istam opinionem adhuc Pater major est, quam qvae de virgine servi forma accepta est. Qvod si aliqvi & hoc affirmant, qvod jam fuerit in Dei substantiam mutatus homo, C. J. illud certè negare non possunt, qvod adhuc natura hominis manebat, qvando ante passionem dicebat: Qvoniam Pater major me est, unde nulla contradictio est secundùm hoc dictum esse, qvod formâ servi major est Pater, cui in forma Dei aeqvalis est Filius. Nec qvisqvam cum audierit, qvod ait Apostolus: cùm autem dixerit qvia omnia ei subjecta sunt, manifestum qvia praeter eum, qvi illi subjecit omnia, ita existimet de Patre intelligendum, qvod subjecerit omnia Filio, ut ipsum Filium sibi omnia subjecisse non putet. Qvod Apostolus ad Philipp. ostendit dicens. Nostra autem conversatio in cœlis est, unde & Salvatorem expectamus, Dominum Jesum Christum qvi transfigurabit corpus humilitatis nostrae conforme ut fiat corpori gloriae suae, secundum operationem suam, qva possit et-*

iam

iam sibi subjicere omnia. Inseparabilis enim operatio est Patris & Filii &c. Idem August. Tom. IV. Oper. Lib. LXXXIII. Quæst. quæst. 69 col. 586. *Qui Filium Dei Patri æqualem non esse contendunt, solent usurpare familiarius hoc testimonium, ubi ait Apostolus: Cum autem ei omnia subjecta fuerint, tunc & ipse Filius subjectus erit ei, qui illi subjecit omnia, ut sit DEus omnia in omnibus. Non enim posset eis error oboriri palliatus nomine Christiano nisi de Scripturis non intellectis. Dicunt enim si æqualis est, quomodo subjectus erit ei? Quod utiq; simile est illi evangelicæ quæstioni, si æqualis est quomodo major est Pater? Ipse enim Dominus ait: Quoniam Pater major me est. Regula autem Catholicæ fidei sic se habet, ut cum aliqua in Scripturis dicuntur de Filio, quod sit minor Patre, secundum susceptionem hominis intelligantur. Cum vero ea dicuntur, quibus demonstratur æqualis, secundùm id quod DEus est accipiantur. Apparet ergo quemadmodum dictum est, Pater major me est, Et egò & Pater unum sumus.* Idem August. Tom. VI. lib. cont. serm. Arianorum. cap. 37 col. 578. *Quod verò dicit Apostolus etiam in futuro seculo Patri Filium subjectum futurum, ubi ait: tunc & ipse subjectus erit ei, qui illi subjecit omnia: quid mirum, quandoquidem illa in filio forma humana mansura est, quà semper major est Pater. Quamvis non defuerint qui illam tunc Filii subjectionem, ipsius humanæ formæ in divinam substantiam commutationem intelligendam putaverint, tanquam hoc cuiq; rei subjiciatur quod in eam convertitur & mutatur. Sed nos quid hic sentiamus, ostendimus, magis ideò dixisse Apostolum, etiam tunc Patri filium subjectum futurum, ne quis in eo putaret, spiritum & corpus humanum aliquâ conversione periturum: ut sit DEus omnia non tantùm in illius unius formâ hominis, sed in omnibus i. e. ut ad habendam vitam & satiandum in bonis desiderium nostrum, natura divina sufficiat. Tunc enim DEus omnia erit in omnibus, cum præter ipsum nihil omninò habere velle cœperimus. Omnia quippe ipse nobis erit, quando ipso sufficiente nihil deerit.* Paria & hisce habentur contra Maximinum, Arianor. episcop. lib. 1. col. 691. & 700. lib. II. col. 719. seq. præsertim verò lib. III. col. 747. seqq. hisce conceptis verbis: *Intelliges, secundum id, quod Christus est caput & corpus: Caput sc. ipse Salvator, qui resurrexit á mortuis & sedet ad dextram patris: & Ecclesia, quæ est corpus ejus plenitudo ejus, sicut apertissimè dicit Apostolus. Ac per hoc cum omnia Christo subjecta fuerint, & capiti & corpori erunt sine dubio subjecta. Nam secundùm id, quod sine tempore DEus natus est, nihil unquam potuit ei non esse subjectum.*

L. Porrò *Cyrillus*, Episcopus Alexandr. (Anno CCCCXXX.) Oper. Tom. II. Thesaur. lib. X. c. 8 (Edit. Basil. M D XLVI. p. 130.) *Proprium omnibus est, non destrui aequalitatem subjectione. Subjicitur enim aequum aequale plerumque dispensationis modo quodam. Nonne concedis unum eundemque Spiritum in Prophetis esse? Cur igitur Paulus scripsit, Spiritus Prophetarum Prophetis subjici? quomodo autem subjectio ab aequalitate Patris repellere filium poterit?* Et paulò post p. 132 *Subjectus nunc quoque Christus Patri est, non tamen pro omnibus, sed pro solis credentibus in eum, pro quibus seipsum tanquam immaculatum agnum patri obtulit, ut ab omni peccato liberatos Patri offerret. Quando igitur omni undique exterminato errore universus terrarum orbis ad verum DEum conversus, Dominum DEum J. C. confitebitur salutariaque ipsius mandata sequetur: tunc, inquam quia omnes ibi erunt subjecti, ipse quoque pro omnibus patri subjicietur, & Pontifex omnium simpliciter factus omnibus per seipsum participationem patris largietur. Sic enim DEus omnia erit in omnibus, per filium in omnibus habitans. Ideo non dicit, tunc ipse quoque filius patri ut minor subjicietur: sed subjicietur inquit, ut sit DEus omnia in omnibus.* Et post pauca: *Haec autem ministratio atque subjectio non repellit eum à naturali dignitate filii. Nam quamvis naturâ filius & aequalis Patri, condescendens tn. etiam tunc ministrabit Patri, cognitionem Deitatis nobis largiens, ut tantum cognoscamus, quantum recipere poterimus.* Conf. & Eundem Dialog. de Trin. l. V. p. 3[illegible] seqq.

LI. *Theodoretus*, Cyri Episcopus (Anno CCCCXXX) Oper. Tom. II. ad h. l. pag 54. seq (Edit. Colon. Agr. cIↄ Iↄc XVII.) *Oportet ergo breviter dicere Apostoli institutum. Scribebat Corinthiis, qui à Graecis fabulis nuper erant liberati. Illae autem fabulae sunt omni intemperantia & iniquitate refertae, & ut alia taceam, & ne linguam polluam, Deos parricidas adserunt, & dicunt filios contra parentes insurrexisse, & eos regno expulisse, ipsos autem dominatum arripuisse. Quia ergo de Domino Christo magna dixit, nempe quod omnem principatum, omnem potestatem & virtutem destruet, & ipsam etiam mortem cessare faciet, & omnia subjecit sub pedibus: ne ab illis fabulis adducti existimarent, cum quoque eadem fecisse Patri qui genuit, quae fecerunt qui ab aliis colebantur Daemones, necessariò cum dixisset,* quod omnia subjecta sunt, *subjunxit* praeter eum scilicet qui ei subjecit omnia, & adjecit, quod ipse etiam filius subjicietur ei, qui ipsi subjecit omnia. *Non [illegible] enim Patrem sibi non subjiciet, sed ipse etiam sibi [illegible] filio [illegible]. Divinus itaque Apostolus, suspicens ne damnum ex Graecis [illegible]*

tur

tur fabulis, hac adjecit, hum lioribus verbis utens propter illorum humilitatem. Et post pauca: *Verumenimvero ea quæ sunt nostra, sibi applicat, & sua facit, quandoquidem ejus corpus appellamur, ipse autem noster m caput nominatur. Hic peccata nostra accepit & morbos nostros portavit &c.*

LII. *Theophilactus* & supra citatus ad h. l. (Edit. Basil. clↄ Iↄ. XL. p. 68. fac.2.) *Ne quis dicat, si Patri non est subjectus filius, nihil prohibet patre filium fortiorem esse: hanc suspicionem ex abundanti diluit, inquiens, quod & filius subjicietur Patri, filii erga Patrem concordiam & unanimitatem ostendens. Noveris itaq; Patrem esse causam & fontem potentiæ hujus quæ est in filio, neq; filium, aliam quampiam vim patri contrapositam putes. Quod si plusquampar est humili dictione usus est Apostolus, ne mireris. Est enim in more D. Paulo, ut si quando funditus quicquam tollere velit, multa utatur redundantiâ. Quemadmodum demonstraturus fidelem mulierem non coinquinari neq; lædi, si cohabitet marito infideli: Sanctificatus est, inquit maritus infidelis in uxore fideli: non hoc dicens, quod infidelis qui ... sit vir, sanctus reddatur, verùm dictionis istius excellentia ostendens, quod nihil lædatur fidelis ipsa conjunx: Sic h. in l. Subjectionis vocabulo funditus tollit pravam istam suspicionem, qua suspicari fors quicquam poterat filium Patre esse fortiorem, ut qui tanta transfigere possit. Atqui Theologus Gregorius asserit, quod filius omnia nostra sibi propria faciens, nostram etiam subjectionem propriam reputet. Nunc verò seditionem quandam ciemus adversus DEum, infideles quidem, cum eum abnegant, fideles verò dum affectibus suis inserviunt multi, etiamsi subjecti secundùm hoc simus. Quum verò alii quidem agnoverint, quem nunc negant, alii verò translati fuerimus ab affectibus in hâc vitâ omninò, tunc dicetur filius esse Subjectus. Humanitatis enim personam subiens sua facit, quæ nostra sunt.*

LIII. Similia hisce fere nec non superioribus vide nunc etiam apud *Oecumenium* (seculo undecimo, circiter anno clↄ LXX.) in hunc locum. Vid. illum ipsum.

LIV. Porrò ex recentioribus scriptoribus: *D. D. Ægid. Hunnius* b. m. in Comment. ad h. l. & ex hoc *Andr. Osiander* in Comment. Bibl. hic ita: *Consideratur hoc loco Christus, quatenus cum electis & fidelibus suis unum corpus est. Hâc ratione nondum dicitur completa illa Subjectio universorum quando nimirum fidelibus adhuc imminet & dominatur mors: quæ in glorioso demum Christi adventu planè abolebitur.*

F LV. *B.*

LV. *B. Balduin.* ad h. l. p. m. 8[illegible]o. *Intelligenda autem* [illegible] *Filio DEI, partim respectu humanæ naturæ; de hoc* [illegible] *suos hactenus egerat Apostolus: partim res*[illegible] *mediatoris. Itaque* [illegible] *dem filius semper subjectus fuit Patri a primo initio* [illegible] *na suâ gloriâ, quando huic filio subjecta erunt omnia,* [illegible] *ctus manebit in ea naturâ, in quâ sub pedes ejus subjecta sunt omnia,* [illegible] *ficio illo, quod DEus Pater* [illegible] *suo delegavit:* [illegible] *spectum subjectionis ad personam mittentem,* [illegible] *et missio &* [illegible] *veterum regulam) non tollit æqualitatem* [illegible] *vel potentiæ.*

LVI. *B. Gerhardus* Tom. IX de Extr. Judic. §. 11[illegible] p. m. [illegible] *Respon*[illegible] *gò pii veteres hunc locum exponunt tùm de subjectionis declaratione,* [illegible] *quando Christus tradet regnum DEO Patri, omnibus in augusto illo angelorum & hominum conspectu manifestum fiet ipsum esse Patri subjectum* [illegible] *dum sc. humanam naturam Epiphan. hæres. 69. tum de subjectionis continuatione Theodor. in Comment. 1. Corinth. XV. tunc, h. e. etiam in* [illegible] *illo triumpho Christus ratione humanæ naturæ erit Patri subjectus, tum vel maximè (quam expositionem reliquis præferimus) de subjectione corporis mystici.* Id. Tom. [illegible]od L. de Vit. ætern. §. 62. p. 8[illegible]6. *Omnia pedibus* [illegible] *subjecit* h. e. *publice in conspectu Angelorum & hominum manifestabitur, quod omnia à Patre ipsi sint subjecta, ipse etiam subjectus erit Patri, in suis sc. membris, cum quibus unum corpus mysticum constituit. Pii in hac vita sunt subjecti DEO secundùm spiritum, sed quamdiu in ipsis caro adversus spiritum concupiscit, nondum ex integro, sed ex parte DEO subjecti sunt, ut notat Orig. homil. 7. in cap. 10 Levit. p. 138 tunc verò penitus cessabit* [illegible] *nis adversus spiritum, ac pii plenè, integrè ac perfectè, secundùm carnem & spiritum DEO erunt subjecti. In hac vitâ piis adhuc imminet ac dominatur mors temporalis, sed tunc, quando mors penitus abolebitur, consummata erit beata* [illegible] *subjectio.*

LVII. *D. D. Calov.* super August. Conf. Tom. II. c. 5. §. 28. [illegible] *ex*[illegible] *quam* [illegible] *is* [illegible] *&* [illegible] *ne* [illegible] *videtur* [illegible] *nihil præ*[illegible] *muneris Christi regii* [illegible] *ad* [illegible] *Christi naturæ* [illegible] *Patri* [illegible]

jectum fore, qvo regnum & imperium istud, imò nullatenus prorsus, qvantum a[illegible] [illegible] certiri desinere. qv[illegible] cessaturum sit [illegible] respectu [illegible] locum habitura sit subordinatio vel subjectio. Interea non cessabit subjectus esse Christus, etiam in summa illa gloria, ubi omnia subjecta erunt sub pedibus ejus, omnesq; potestates evacuatæ ab ipso, Patri, qvi homo est, a Patre dependens ut antea explicatum.

LV[illegible]I. D. *Waltherus*, in H[illegible] Bibl. ad h. l. *Veteres hunc locum recte exponunt [illegible] de Subjectionis declaratione, qvia qvando Christus tradet regnum DEo Patri, omnibus in augusto illo Angelorum hominumq; consessu manifestum fiet, ipsum esse Patri subjectum, secundum humanam sc. naturam. Epiphan. hæres. 69. 2. de Subjectionis continuatione. Theodor. in comment. tunc, h. e. etiam in magno illo triumpho CHRISTUS ratione humanæ naturæ erit Patri subjectus. 3. Idq; maximè de subjectione corporis mystici, ut sit sensus. tunc, cum tradiderit regnum Patri, futurum est ut Ecclesia planè & plenè DEo sit subjecta, sublatis ex felicissimo & beatissimo illo regno omnibus culpis & pœnis, ratione qvarum militans Ecclesia non videbatur illi plenè subjecta.*

LIX. *D. Salomon Glass.* Phil. S. lib. V. Tract. II. c. 3. *Subjectio, qvâ Filius subjicietur Patri, non significat ullam infelicitatem & interitum, sed summam beatitudinem, qvæ iis obtingit, qvi DEo subjecti, pro benevolo & gloriosissimo Rege eum agnoscunt, & in lumine ejus, ut beati ejus regni subditi ambulant. Qvod autem de Filii DEi subjectione h. l. dicitur, de corpore ejus mystico, credentibus & electis intelligendum. qvorum gloria per κοινωνίαν, capiti Christo adscribitur, sicut & passiones credentium in hâc vitâ sibi Christus appropriat Matth. XXV. 35. Actor. IX, 4. Et huc pertinent verba qvæ seqvuntur: Ut sit DEus omnia in omnibus, sc. electis glorificatis, qvi in Christo capite suo æternum triumphant.*

LX. *Paraphrasta Vinar.* Er wird das Reich/welches er biß anhero mitten unter seinen Feinden in der streitenden Kirchen geführet/seinem Vater/ von welchem ers empfangen hat / wieder überantworten und hiermit öffentlich bezeugen/ das Er nach seiner Menschlichen Natur / nach welcher [illegible] die Macht zu herschen von Vater in der Zeit gegeben / ihm unterthänig sey / und als denn wird auch sein geistlicher Leib Gott den HErrn völlig unterthänig seyn / welcher ohne alle wiedersetzung der Feinde / und sonderlich der [illegible], in ihnen völlig und ruhig herschen wird.

LXI. *R. Bellarminus*, de Christo l. I. c. 16. planè sub finem. *Sed cur dicit: tunc & ipse Filius subjicietur? Numqvid tunc primum incipiet subjici Christus homo Deo Patri suo? numqvid non magis fuit subjectus, qvando fuit obediens usq; ad mortem? Resp. Illud, tunc, qvandam habere emphasin: est enim sensus; etiam tunc, in illa gloria erit subjectus Christus, ut homo DEO &c.*

LXII. *Gvilel. Estius* ad h. l. p. m. 398. *Superest igitur ut hanc subjectionem accipiamus juxta dispensationem carnis assumptæ: qvomodo loqvitur Hieron. l. 1 Dial. adu. Pelag. c. 6. i. e. secundùm naturam ejus humanam. Qvæ & Augustini est expositio duobus loc. jam allegatis. Et lib. 3. contra Maximin. c. 18. Eademq; Latinorum ferè omnium hujus loci interpretum. Qvæ & textui qvàm optimè convenit. Hactenus enim de Christo ut homine, Paulus disseruit eo producta disputatione, qvod ipsi tandem omnia subjicienda sint excepto Patre, qvi subjecit ei omnia. Cui proinde & ipse, videlicet ut homo subjectus esse debeat. Dicit autem Apostolus, tunc subjectum fore, cum subjecta fuerint ipsi omnia: non qvod interim non sit subjectus, sed qvia de illo tempore, qvo Christus jam perfectè regnabit ac dominabitur, omnibus in potestatem redactis, dubitare qvis posset, an ipse Christus Universalis Dominus cuiqvam alteri tunc subjectus futurus sit. Tale igitur est qvod dicit: Non idcircò desinet filius esse subjectus Patri, qvod subjecta sint ei omnia. Imò justissimum est, ut maneat ei subjectus, qvi ipsi omnia subjecit. Porrò subjectus erit re & confessione: qvia agnoscet & confitebitur DEUM Patrem se majorem; sicut in Evangelio dicit: Pater major me est, Johann. 14. suumq; regnum & omnia bona cum gratiarum actione Patri referet accepta. Convenit enim hic locus cum illo superiore, ubi dixit, Christum traditurum regnum suum DEO & Patri.*

LXIII. *Fr. Junius* in Comment. Bibl. ad. h. l. *Non, qvod non anteà Patri subjectus fuerit Filius, sed qvia nondum plenè Ecclesia (qvæ ejus est corpus) perfecta est hæc enim hic langvet, nec tota illa gloriæ particeps. sanctorum enim mortuorum corpora, qvæ in sepulcris jacent ad resurrectionis usq; diem, gloriæ erant expertia. Cæterùm Christus ut DEus, cum Patre nos subjectos habet: ut Sacerdos nobiscum Patri subjectus est.*

LXIV. *Joh. Camero*, in Myrothec. Evang. ad h. l. *Tradere regnum Patri & subjectum esse Patri, idem esse Apostolo, vel hinc demonstrari potest, qvod Apostolus hanc subjectionem aliqvando futuram pronunciat. Unde manifestè*

nifesto apparet, non agi hic de ullâ essentiali subjectione Filii, quæ nimirum ei conveniat vel secundùm divinam, vel etiam secundùm humanam. Nam juxta illam Filius Patri non est subjectus, cùm hactenus sit æqualis Patri: secundum hanc verò subjectus est Patri. Sed quoniam quamdiu Christus, qui idem DEus est & homo, exercet hoc imperium, non apparet, quomodo quatenus homo Patri subjectus sit, nam dominatur jam membris suis, & hostes suos debellat, propterea tantisper non dicitur Patri subjectus: quoniam verò cum hoc pacto defierit regnare, illud clarissimè apparebit, nulli enim erunt amplius hostes subigendi, tum demùm dicitur fore subjectus Patri.

LXV. Jam nostram quoq; subjuncturi sententiam vel qualemcunq; juxta superiora quæritur: I. *Quis subjiciendus*? Resp. Hic verò (ut ex adductis modò Scriptoribus inclaruit) bivium sese nobis offert, nisi trivium: ac quæri adeò vicissim poterat: 1. Subjectio illa *de Christo ipso* (certè sic sonant verba textus ipsissima) an intelligenda sit? 2. an verò de Christo mystico sive de corpore ejus mystico, h. e. *Ecclesiâ*, 3. an verò *de utroq;*? Resp. iterata: ac sine præjudicio cujusquam respond. nunc: 1. de Christo utiq; primariò, directè & immediatè. Trahes verò huc mox aut repetes omninò dicta de Eodem suprà §. XXXIV. Qui enim traditurus est, idem & ille, traditione confectâ, subjiciendus: nisi tota nos cohærentia & συμφώνεια textûs fallat: adde verba ipsissima: τότε καὶ αὐτὸς ὁ υἱὸς ὑποταγήσεται &c. intelliges verò iterum mox secundum §. allegatum, Idem, Christus juxta naturam expressam ibidem, humanam, non divinam vel utramq;: quanquam quo de pluribus statim. 2. resp. secundariò, indirectè & mediatè etiam de Ecclesia vel Christi corpore mystico, Actor. XX, 28. Tit. II, 14. 1. Petr. II, 9. Ita enim per metonymiam subjecti Christus Jesus pro Ecclesiâ sua, propter ἕνωσιν μυστικὴν & admirandam illam, de quâ Ephes. V, 30. seqq. non uno in loco Scripturæ S. sumitur, tribuunturq; Illi hæc, quæ corpori ejusdem mystico propriè competunt, vid. Matth. XXV, 35. & 40. Actor. IX, 4. seq. 1. Corinth. XII, 12. Gal. II, 20. Col. I. 24. Quâ in sententiâ plurimi sunt cùm Veterum, Origenes, Athanasius, Nazianzenus, Ambrosius, Augustinus, Cyrillus, Chrysostomus, Theodor. &c. tum recentiorum D D. maximè B. B. Gerhardus LL. T. IX. de extr. jud. §. 112. p. 171. & de Vit. ætern. §. 62. p. 858. Walther. in harmon. ad h. l. p. 1134. Tarnov. in Mich. c. IV. ad v. 7. p. 124. alii, Cæterùm persistent hæc valeantq; in

 sensu

ſenſu ſuo, ut dictum, ſecundariò, non primario: certe NB ἀυτὸς ὁ [illegible] ὑποταγήσεται: ἀυτὸς dico, repeto, cui ante in præcedentibus immediatè ὑποταγῇ τὰ πάντα, cui ſubjecta erunt omnia [illegible] notante Gv. Eſtio hîc, minime competit in corpus Chriſti myſticum, eccleſiam, ſed caput ipſum, & unum ſolum per ſe qvidem, 3. reſp. conſeqventer; adeoq; de utroq;, dicta ratione. Videndus [illegible] Gerhardus, T. IX. loco dicto: qvo in duplex Chriſto tribuit corpus & perſonale & ſpirituale ſive myſticum: conf. & B. B. Hunnius, Baldvinus, [illegible] Fr. Jun. in h. l.

LXVI. Porrò, *Qva & qvalis Subjectio illa futura?* Reſp. 1. qvantum *Caput, Chriſtum ipſum*: (1) non juxta Sabellianos & Marcionitas, teſte Ambroſio lib. 5. de fide cap. 7. aliis: Filii in Patrem refuſio qvaſi qvædam, qvâ qvidem facta filius ſit deſiturus eſſe. (2) non, juxta alios, referente Auguſtino lib. contra ſermonem Arrianor. cap. 17. & lib. I. de Trin. cap. 8. & 10. humanæ formæ (naturæ humanæ) in divinitatem commutatio qvædam. (3) adeoq; non abdicatio naturæ ſeu divinæ ſeu humanæ. (4) non ſubjectio juxta naturam divinam (vel formam Dei, Philipp. II, 6.) qvam ſententiam Eſtius hic p. m. 397. tribuit Chryſoſtomo, Theophylacto, Oecumenico & Ambroſiaſtro, ut loqvitur, ſecundum qvam utpote Patre non minor aut huic ſubjectus, ſed æqvalis eſt: utut vel de ſubjectione (Ordinis) vel ſubordinatione ejusdem, qvantum filiationem intelligatur. Qvalia placent & ex parte D. Brochmanno, Syſtem. Theol. Tom. I. art. de off. Chr. cap. 8. qv. 3 p. m. [illegible] (5) non ſubjectio, qvantum abdicationem omnem regni vel regii officii ſui: vid. & conf. ſuprà dicta præſert. §. XXXV. (6) nec qvantum officium mediationis, vel abdicatione, traditione regni Gratiæ: juxta præſertim Joh. Cameronem, in myrothec. evangel. adhunc locum: qvalia diſtincta omninò ſunt, non unum idemq;, & ut diſtincta hîc omninò concipienda: qvorumq; alterum activè, alterum paſſivè, ſic dicendo, mage ſeſe habet. (7) ſed Subjectio hic intelligenda eſt ſecundum carnem vel naturam humanam: utut enim ſecundum hanc qvidem factum ipſi ſit nomen ſuper omne nomen, Philipp. II, 9. ſeqq. idemq;, Chriſtus, in gradu ſummo gloriæ ſuæ & ſtatu majeſtatico ſuper omnes omninò creaturas modò ſit conſtitutus, Epheſ. II, 21. ſeqq. attamen in illo ipſo dicto ſtatu, cùm, inqvam, ſubjecta fuerint ipſi omnia, [illegible]

αὐτῷ

αὐτὸς ὁ υἱὸς (noster textus ipsiss. vers. 25. 26 & præsert. 27 & 28.) ut ne cui dubium suboriri possit de tanto Universaliq; Domino, an nihilominus idem & subjiciendus sit? attamen, dico, secundum illam naturam reipsâ Deitati vel DEO ipsi minor & verè subjectus est eritq;, qvandoqvidem, qvicqvid & qvam habet majestatem & gloriam â divinitate & communicatam habet, ut alibi docetur. In hâc jam sententiâ sunt plurimi item (cæteris paribus) cùm veterum, Augustinus citatus suprà, & lib. ejusdem de Trin. cap. 8. it. lib. 3. contra Maxim: c. 18 Ambrosius, lib. 5. de fide c. 6. & 7 Theodoretus, Sedulius, Primasius, alii, tum è nostris, B. Balduinus, (majore ex parte) ad h. l. p. m. 799. seqq. D. D. Calovius in suis scriptis passim, A. C Tom. II, cap. 5. &c. add: Bellarm. de Christ. lib. I, cap. 16 p. m. 118. lit. e. Gv. Estius ad h. l. p. m. 398. (8) qvo ipso tamen vicissim Divinitati Christi, imò nec duarum naturam distinctioni, addo ejusd. muneri vel officio sive mediationis sive regio nihil planè, planè decedit: salvis manentibus scil. cujuscunq; juribus & dignitatibus. (9) porrò, interim illa subjectio, dicta, non inchoativa aut inchoans est, qvasi verò â puncto primo mediationis vel incarnationis non fuisset subjectus DEO vel deitati: sed Continuativa ejud. Vid. hâc vice post alios supr. cit. Script. Sà, item Steph. Menochius, Tossan, &c. (10) Præterea, extra qvod sit realis & verè vel in sese talis hęc subjectio, erit etiã Declarativa qvodam modò (re adeò & simul confessione talis) ut in magno illo triumpho & in conspectu omnium angelorum & hominum, præcipuè electorum, qvibus talia manifesta fient, qvatenus agnoscet Idem & confitebitur tunc Deum Patrem se majorem, sicut in Evangelio expresse dicit: Pater major me est Joh. XIV. 28. adeoq; huic non sine δοξολογία omnia sua accepta referet, juxta dicta Psal. II, 6. seqq. CX, 1. seqq. videndi hic præsertim Epiphan. hæres. 69. è nostris, D. D. Hunnius, Osiander, Franz. de Interpr. S. Walther. in harm. omnes ad hunc locum: add. item iterumq; Estius, hic (11) vicissim verò omnia hæc extra omnem infirmitatem, servitutem, coactionem & violentiam, sed talem, qvæ liberrimæ voluntatis est, spontanea, porro quæ concordiam infert dignitati Dei Patris, Filii & Spiritus S convenientem. & in sacratissimo hoc imperio communi consensum & conspirationem mutuam, absolutissimam, perfectissimamq;. (12.) adeoq; tandem nullam infirmitatem, sed summam potius salutem, felicitatem & beatitudinem; qva-

lis

ſis nimirum obtingit & iis, qvi Deo ſubjecti in lumine ejus, ut beati ejus regni ſubditi, ambulant; cum contra pro infeliciſſimis habendi ii ſunt, qvos Deus non pro Suis, ſed hoſtibus ſuis abjectiſſimis habet. vid. Hilar. lib.XI. de Trin. Gr. Nyſſen. ad h. l. Cryſoſtom. Ambroſ. Teophil. Oecumen. add. B. D. Balduinus. D. D. Calov. Broch. ll. fere cit.

LXVII. Superpondium q: Anteqvam hinc abeamus addimus Obſervationem ex mente qvorundam Interpretum in hunc locum: qvam reperire eſt præſertim apud Theodoretū ſuprà cit. loco § LI porrò Bell. Card. de Chriſto lib. 1. cap. 16 ſub finem, nec non è noſtr. D Balduin. hic, pag. m. 8[illegible]1. Notant a., inqviunt fere, Græci Interpretes, Paulum ſcribere ad Corinthios, qvi paulò ante receſſerant â fabulis Gentilium, qvæ docent Deos inter ſe pugnare ſolitos, & â Jove Filio Saturnum patrem regno pulſum. Qvoniam igitur dixerat Paulus, Chriſtum evacuaturum omnem principatum, & poteſtatem, ne putarent Corinthii juxta fabulas, â Chriſto etiam Patrem in ordinem redigendum eſſe, qvomodo Saturnus â Jove filio in ordinem redactus fuit: ideò addit onnia ſubjicienda Chriſto, præter eum, qvi ſubjecit ei omnia, & non ſolùm hoc, ſed etiam ipſum Chriſtum, etiam tunc in illo triumpho, poſtqvam tanta fecerit, ſubjectum fore ſuo patri.

LXVIII. Cœterùm II. *de Subjectiore qvantum* Chriſti corpus myſticum, h. e. *Eccleſiam*, quæ & qvalis illa futura ſit? addenda adhuc fuerint item qvædam. Reſp. ſuprà dictum fuit §. LXV. qvod per ſubjiciendum, qvanqvam in ſenſu ſecundariô, h. l. poſſit etiam intelligi Eccleſia, vel myſticum Chriſti corpus. Subjectio itaq; hæc talis fuerit: Eccleſia militans in his terris adhuc ſubjecta & ipſa qvidem eſt fuitq; DEo & Chriſto, qvanqvam videri poterat ſaltem idem ex parte, non toto, nondum plenè vel completè: (regnum diviſum:) Imminet qvippe eidem adhuc reatus culpæ & damni ſive pœnæ, dominantur etiam huic modò peccatum, caro, Satanas, & mors deniq; temporalis; auxilio itaqve opus habet adhuc contra ſimilia: abolitis verò & conſummatis hiſce, planè & plenè, unà cum capite ſuo Chriſto, Deo tunc ſubjicietur, ex militante in triumphantem, glorioſum & beatiſſimum translata ſtatum. B. Gerhardus aliter paulò hæc effert LL. Tom. IX. de Vit. æterna §. 62. in med. ferè: Filius, inqvit, ſubjectus erit Patri in ſuis membris, cum qvibus unum corpus myſticum conſtituit. Pii in hâc vitâ ſunt ſubjecti

DEO

Deo secundùm spiritum, sed qvamdiu in ipsis caro adversus spiritum concupiscit, nondum ex integro, sed ex parte Deo subjecti sunt, ut notat Origen. homil. 7. in cap. 10. Levit. p. 138. tunc verò penitus cessabit lucta carnis adversus spiritum, ac pii plenè, integrè ac perfectè, secundum carnem & spiritum Deo erunt subjecti. In hac vitâ piis adhuc imminet ac dominatur mors temporalis, sed tunc, qvando mors penitus abolebitur, consummata erit beata illa subjectio. Conf. & L. de extr. jud. §. 112. p. 271. Walther. in Harmon. ad h. l. p. 1134. Fr. Junius, hic &c.

LXIX. Ex qvibus ipsis, dictis, h. l. facilè constabit item adeoq; *de Subjectione Christi totius* (utrinq;) & personalis & mystici, h. e. Capitis unà cum suis membris: qvando sc: Ille omnium suorum hostium Victor, traditoq; suo oecumenico regno, secum nos sub Dei imperium rediget, hoc modo subjicietq; plenè, ut adeò Regnum Dei & Christi omnibus modis & numeris sit undecunq; absolutum.

LXX. Tertiò nunc, *Cui subjiciendus* subjiciendus? Christus totus: secundùm dicta? Resp. Conf. hic & ante omnia suprà §. xxxix. Textus noster, v. 28. τῷ ὑποτάξαντι αὐτῷ τὰ πάντα, illi subjicienti sibi (vel potius ipsi) omnia: hoc est, DEO glorioso iterùm, toti SS. Trinitati, non exclusâ secundâ Illius personâ, Filio: juxta Johann. x, 30. *Ego & Pater* unum sumus, conf. 1. Johann. V, 7. adde: Filio item esse subjecta omnia, imò hunc & subjicere sibi omnia, Philipp. III, 21.

LXXI. Neq; verò tandem operosi vel multi erimus in refutandis & h. l. Objectionibus adversariorum. Certè, ut suprà percepimus §. XL. Photiniani Regno Christi æterno certum terminum & finem ex h. l. nostro falsò affingunt: porrò nunc adeò, etiamsi Christi subjectionem plenariam plenè & lubentes concedunt; attamen vel ideò (finem regni omnimodè statuentes) illam negant vicissim eò usq;, ad traditionem sc. ejusdem: statuentes (Smalcius, in refutat. eorum qvæ Smiglecius examini centum error. objecerat, pag. 55) *Christum in cœlis regnantem non esse subjectum Patri, usq; ad diem judicii*: contra expressa verba textus nostri: adde. I. Corinth. xi, 3. &c. Planum.

LXXII. Restat III. inter Novissimorum novissima nostra, de qvibus hactenus & in præsenti nobis, ultimum atq; postremissimum, sic dicendo, verè omnium; nimirum, ὁ Θεὸς αὐτὸς, vel (verba ipsissima ama-

ngensis divi, D. Apostoli) τὰ πάντα ἐν πᾶσι, DEUS, nunc & tunc, *Omnia in omnibus.* Qvibus paucissimis qvidem verbis, utut plura & infinita contineantur, qvàm intellectus noster modò vel hîc & nunc asseqvi possit: (verè adeò meritoq; repetimus id superius, 1. Corinth. XIII, 9 seqq. *Ex parte nunc cognoscimus &c. &, cernimus nunc per speculum, per ænigma &c.*) attamen & hîc qværi v. gr. poterat saltim: 1. *voce* ὁ Θεὸς *DEus qvid vel qvisnam intelligatur? 2. qvidnam per phrasin:* τὰ πάντα ἐν πᾶσι, *Omnia in omnibus?* Enimverò & hâc vice aliorum, qvà Veterum recentiorumq; audiemus primùm paucis pronunciata pieq; ab ipsis in hanc rem præmeditata.

LXXIII, Et primò qvidem *Origenes Adamantius*, Lib. III. περὶ ἀρχῶν c. 6. p. 829. ita: *Et ego qvidem arbitror, qvia qvod in omnibus omnia dicitur esse DEUS, significet etiam in singulis eum omnia esse. Per singulos autem omnia erit hoc modo, ut qvicqvid rationabilis mens expurgata omnium vitiorum fece atq; omni penitus abstersâ nube malitiæ, vel sentire, vel intelligere, vel cogitare potest omnia DEus sit, nec ultra jam aliud aliqvid nisi DEum videat, DEum teneat, omnis motus sui DEus modus & mensura sit. & ita erit omnia DEus: non enim ultrà boni maliq; discretio. qvia nusqvam malum: omnia enim ei DEus, cui jam non adjacet malum: nec ultra ex arbore sciendi bonum & malum manducare concupiscet, qvi semper in bono est, & cui omnia DEus est. Sic ergò finis ad principium reparatus, & rerum exitus collatus initiis, restituet illum statum, qvem tunc habuit natura rationabilis, cum de ligno sciendi bonum & malum comedere non egebat. ut amoto omni malitiæ sensu, & ad sincerum purumq; deterso. solus qvi est unus bonus DEus hîc ei fiat omnia: cum nusqvam mors, nusqvam aculeus mortis, nusqvam omninò malum, tunc verè DEus omnia in omnibus erit.* Hactenus Origenes.

LXXIV. Porrò *S. Ambrosius*, de Fide lib. V. cap. 6 p. 139. *Cùm dicit: ut sit DEus omnia in omnibus, â DEO Patre non separat Christum: sed, & unitatem & æqvalitatem cum DEO Patre complexus est Christi, qvia nec â Patre filius separatur: & similiter sicut pater omnia in omnibus, ita omnia in omnibus & Christus.*

LXXV. *Gr. Nyssenus*, in Oratione ad h. l. *DEus est omnia in omnibus, ut qvæ cuilibet est eritq; omnia: cibus, potus, indumentum, tegumentum, aer, locus, divitiæ, pulchritudo, sanitas, robur, prudentia, gloria, beatitudo, & qvic-*

& quicquid inter bona censetur, cujus eget natura, ad id quod DEum dicet, eorum quæ dicta sunt reducta significatione.

LXXVI. *Hieronymus*, Stridon. Episc. (anno circiter 390.) in Epist. CXLVII. ad Amandum: *Dominus atq; Salvator noster nunc Omnia non est in omnibus, sed pars in singulis: v. gr. in Salomone sapientia, in Davide bonitas; in Job patientia; in Daniele cognitio futurorum; in Petro fides, in Pinees & Paulo zelus; in Johanne virginitas, in cæteris cætera. Cùm autem rerum omnium finis advenerit, tunc omnia in omnibus erit, ut singuli Sanctorum omnes virtutes habeant, ut sit Christus totus in cunctis.*

LXXVII. *Augustinus*, Libr. I. de Trinit. cap. 10. col. 251. *Contemplabimur DEum Patrem & Filium & Spiritum S. cùm mediator DEI & hominum, homo Christus Jesus, tradiderit regnum Deo & Patri, ut jam non interpellet pro nobis mediator &c.* Et paulò post: *Cum ergò tradiderit regnum DEO & Patri, i. e. cùm credentes & viventes ex fide pro quibus nunc mediator interpellat perduxerit ad contemplationem, cui percipiendæ suspiramus & gemimus, & transierit labor & gemitus, jam non interpellabit pro nobis, sed manifestè nobis Patrem ostendet, &c.* Et Libr. cont. Serm. Arianorum c. 37. col. 678. *Apostolus dicit, tunc Patri Filium subjectum futurum, ut sit DEus omnia, non tantùm in illius unius formâ hominis CHRISTI, sed in omnibus, id est. ut ad habendam vitam & satiendum in bonis desiderium nostrum Naturæ divina sufficiat. Tunc enim Deus erit omnia in omnibus, cum præter ipsum nihil omninò habere velle cœperimus. Omnia quippe ipse nobis erit, quando ipso sufficiente nihil deerit.* Item, Sermon. XVI, de Verb. Apostol. *Quid est omnia? quicquid hic quærebas, quicquid hîc pro magno habebas, ipse tibi erit, quicquid hîc volebas quicquid hîc amabas manducare & bibere, ipse tibi erit cibus, ipse tibi erit potus, ipse erit tibi Sol, ipse Luna. Volebas sanitatem corporis, ipse erit tibi immortalitas.*

LXXVIII. *Theodoretus*, Cyrensis Episc. comment. in h. l. *Ejectis omnibus perturbationibus nullum deinceps peccati genus exercebitur. Ita erit deinceps DEus omnia in omnibus, cum omnes à peccatis liberati fuerint, & ad ipsum conversi ad deteriora inclinationem non admiserint.*

LXXIX. *Haymo*. Episcopus Halberstad. (Ann. 850) in comment. ad h. l. *Erit DEus omnia in omnibus, quia, erit satietas eorum & lætitia, & exultatio & vita.*

LXXX. *Theophyl.* ad h. l. pag. [illegible] fac. b. in fin. *Ut sit DEus omnia in omnibus, h. e. ut omnia a Patre dependeant, ne duas quispiam potestates, potestatis expertes, vel alteram imperium esse suspicetur, absq; affectus ac divisa inter sese: quandoquidem hostes sint sub pedibus filii, filius porrò non est seditiosus, non dissidet à patre, verum quemadmodum par est, DEO patri subditur obedit. Omninò autem DEus Pater erit omnia in omnibus. Nonnulli malitiæ sublationem denunciari aiunt, per hoc quod omnia sint subjecta. Quia enim peccatum porrò non fuerit, planum est quod DEus omnia in omnibus erit. quando non amplius motibus & affectibus succubuerimus, ita ut nihil omnino DEI vel parum in nobis feramus, sed toti DEI similes, totius & solius DEI capaces erimus. Omnia sane tum nobis DEus erit, & cibus & potus & cogitatio, & indumentum & motus.*

LXXXI. *Anshelmus*, Cantuarienſis in Angliâ epiſcopus (Anno 1081.) ad h. l. *DEus in electis erit omnia, i. e. vice rerum omnium, erit ipse nostra vita, salus, virtus, copia, gloria, honor, pax, omnia bona, finis ac satietas desideriorum nostrorum.*

LXXXII. *Dionysius Carthusanus* (Anno 1450) itidem ad h. l. *Quicqvid enim amari possit vel appeti, habent in DEO, & DEus est causa totius beatitudinis electorum, qui nihil qværunt aut diligunt nisi DEum, & alia in DEO propter DEUM aut secundum Deum.*

LXXXIII. *Baptista Mantuan.* (1500.) lib. 3. de patient. c. 26. *Tunc erit DEus omnia in omnibus, h. e. qvicqvid singuli desiderabunt, suppeditabit DEus, quia tantâ dulcedine mentibus nostris illabetur, ut perfectè compleatur, quod dicitur à propheta; Satiabor, cum apparuerit imago tua.*

LXXXIV. *B. Lutherus*, iterùm ad h. l. *Quicquid frustulatim ab omnibus creaturis nobis mendicandum est in hoc seculo, ille unus omnium bonorum nobis instar erit, nulla inopia unquam laboraturis. Nil tibi deficiet, Deus omnibus omnia fiet.*

LXXXV. *Paraphrastæ* tandem *Vinarienses*: daß Er nicht mehr durchs Wort/ sondern ohne Mittel durch sich selbst in ihnen hersche/ aller seiner Himlischen Güter sie theilhafftig mache/ sich völlig ihnen zuerkennen gebe/ und sie an Leib und Seel durch sein seligmachendes Anschauen sättige.

LXXXVI. Tandem jam, nostra item mens qvæ circa qvæsita duo superiora: *I. Voce ὁ Θεὸς, Deus quid vel qvinam intelligatur? 2. qvisnam*

per

per phrasin: τὰ πάντα ἐν πᾶσι *Omnia in omnibus?* Ad I. adeò Respond. paucissimis: I. Ubut de Deo Patre (voce *DEI* h. l. specialiter vel definitive acceptâ) primâ fronte videri poterat hæcce intelligenda. 2. et primatur ipsa Patris persona exertè & nominatenus in præcedentibus, maxime vero 24. 3. Originaliter item, qvatenus à Patre existunt reliqvæ Deitatis personæ, hæc vox posset ita sumi. 4. adeoq; ad hunc, Deum Patrem rectè meritoqve omnia, tanqvam ad unum primumqve principium suum (sic dicendo) referenda sint: attamen 5. rectiùs vocab. ὁ Θεὸς *DEus* h. l. indefinitè & essentialiter sumitur, pro totâ SS. Trinitate, incluso, non excluso (sic balbutire oporteat) Verbo & Filio DEI ipso & Spiritu S. identitatis idq; ac per omnia & æqvalitatis vi suæ: Joh. X, 30. 1. Joh. V. 7. adde Philipp. III, 21.

LXXXVII. Ad II. *Qvidnam per Phrasin hanc*: τὰ πάντα ἐν πᾶσι *Omnia in omnibus intelligatur?* Resp. repetimusq; (1) superiora, mentis nostræ nimir. imbecille. (2) quin caliginem & tenebras; 1. Corinth. II, 14. cap. XIII, 9. seqq. 2. Cor. III, 5. Ephes. II, 1. c. IV, 17. seqq. (3) Si qvid tamen dicere vel cogitare liceat (4) DEus talis, *Omnia in omnibus* nunc qvidem etiam est: in essendo, operando, imperando, &c. vid Jes. VI, 3. 1. Corinth. XII, 11, Eph. 1. 11, attamen (5) in hâc vitâ tempor. & ecclesiâ hic militante adhuc in medioq; hostium, Diabolorum, impiorum, reproborum, videri possint hæc atq; talia (superiora) inchoativa potiùs & continuativa esse, qvàm consummata. (6) qvalia alterius & æternæ vitæ triumphantisq; ecclesiæ in capite, Christo homine (servatâ suâ semper hìc ὑπεροχῇ) & membris suis erunt potiùs. Ubi (7) DEus *Omnia erit in omnibus*: formaliter, sic dicendo, sive *essentialiter*: αὐταυτὸς Ipse, αὐτοων, αὐτεσιος, ὑπερέσιος, ὑπερέσιος ὑπερεσίως ἔχων τὸ ὑπερέσιον, αὐτάρκης &c. Apocal. I, 4. 9. & II, cap. IV, 8. XI, 17. XVI, 5. XXI, 8. XXII, 13. conf. Dionys. de divin. nomin. lib. 1. cap. 1. &c. (8) *Causaliter efficienterq;*, immediateq; id, non mediatè amplius, ut hîc & nunc: vid. & conf. Apocal. VII, 17. cap. XXI, 22. seqq: (9) *Objectivè*, h. e. loco πάντων, Omnium, quæcunq; possunt optari aut cogitari unqvam ab homine, quantum omnes rerum, qvæ cadunt qvidem in DEum, sic dicendo, Perfectiones in Eodem. Conf. & vid. 1. Corinth. VII, 35. 1. Joh. III, 2. (10) deniq; *effectivè, fruitivè & declarativè*: quantum absentiam omnis omni-

nô mali, præsentiam verò, adessentiam, affluentiam, abundantiam & sufficientiam omnis omninò summiq; & imperscrutabilis Boni: qvod certè aliud nihil est, nisi ὁ Θεὸς τὰ πάντα ἐν πᾶσι. Ille *DEUS, Omnia in omnibus*: εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, *benedictus in secula*, Rom. 1. 25. IX, 5. &c. ὁ Ἀμήν: Apocal. 1. 18. III, 14.

LXXXVIII. Postremò, per ἀνακεφαλαίωσιν qvasi qvandam superiorum, huc spectantium maximè, atq; Coronidis quasi loco, *Definitionem* sive *Descriptionem* dabimus qualemcunq; (summariè) simul & semel hujus nostri Novissimorum omnium novissimi, de quo hactenus, Fidei Articuli: Est itaq;, præsertim i Παράδοσις vel *Traditio regni Christi, mediatoris, in manus DEI Patris sui*: adde, Ὑποταγὴ item vel *Subjectio Ejusdem DEO Patri suo*: cum una conseq. (sic dicendo:) τῷ Θεῷ πάντα ἐν πᾶσι, *Omnia in omnibus*, Actus Novissimorum omnium novissimus, peculiaris & à reliqvis omninò distinctus, idemq; majestaticus & solennis, qvo CHRISTUS JESUS, Θεάνθρωπος, unicus inter DEum & homines mediator, statu Exinanitionis suæ deposito, regnoq; in his terris Gratiæ officioq; mediationis fermè absoluto mox deponendoq;, in specie antecedenterq; idem exinanitus, passus, crucifixus, mortuus & sepultus, devictis porrò adeoq; Satanâ, peccato, carne, mundo, morte & inferno, post victoriosum suum ad inferos descensum, à morte resurrectionem, ad cœlos ascensum, sedens ad dextram DEI, resuscitatis mortuis, exercito judicio extremo & universali, executioni datis reprobis atq; diabolis ad Infernum, piis & electis ad Vitam æternam, sub consummationem seculi hujus mundiq; totius, Ipse qvidem tanqvam Victor & Rex, adde qvà Homo, Gratiæ suprà notatum Regnum officiumq; oeconomicum & mediationis (quantum actum, non fructum & effectum) adeoq; abolitis Lege, evangelio, sacramentis, fide, totoq; ministerio verbi vel ecclesiastico, similibus, solenniter qvasi & in universali triumpho quodam, in conspectu omnium omninò angelorum & sanctorum vel beatorum hominum resignabit, deponet tradetq; in manus DEI, h. e. totius S. S. Trinitatis, sese secundum Divinitatem non excluso: porrò II. Subjectis Huic (S. Triadi) adeoq; & sese secundum carnem vel humanam naturam (interim citra omnem læsionem Divinitatis, unionis & communionis hypostaticæ vel duarum naturarum, extra omnem item infirmitatem, servitutem, coactionem & violentiam

am, potiùs ad mutuum perfectissimumq; consensum & concordiam, dignitati totius S. S. Triadis convenientem, omnem deniq; ac summam felicitatem & beatitudinem) & porrò corpore item mystico suo, Ecclesia totâ triumphante, singulisq, ejusdem membris & electis, eodem, supra fere dicto, modo, ad statum perfectissimum, absolutissimum & beatissimum, DEI perpetuam, claram & plenariam visionem, fruitionem, nec non una cum DEO in posterum communionem gloriosam & æternam. Quâ ratione tandem III. Deus, S. S. tota Trinitas, erit τὰ Πάντα ἐν πᾶσι, Omnia in omnibus: essentialiter (in essendo) causaliter efficienterq; (in operando, imperando &c.) objectivè, effectivè, fruitive, declarativè, &c. Ὁ Θεὸς, Θεὸς τὰ πάντα ἐν πᾶσι, εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, ὁ Ἀμήν. Ἀμήν.
Ναὶ, ἔρχου Κύριε Ἰησοῦ. Ἀμήν.

Vacui ob fugam & rei affinitatem, Μελέτημα subseq. adscripsisse juvabit Gvil. Alardi, Decad. VII. Od. 1.

Certa ibi est qvies;
Qvieta ibi est securitas;
Secura ibi est tranqvillitas;
Tranqvilla ibi est felicitas;
Felix ibi est svavitas;
Svavis ibi est jucunditas:
Jucunda ibi est serenitas;
Serena ibi est solennitas;
Solennis ibi est festivitas;
Festiva ibi est æternitas;
Ibi nec est defectio;
Sed optima est refectio.
Ibi nec est deformitas,
Sed omnium conformitas.
Ibi nec iniqvitas,
Sed una semper æqvitas.
Ibi nec ignorantia,
Sed omnium scientia.
Ibi nec indigentia,
Sed omnium affluentia,
Ibi nec est crudelitas,
Amica sed fidelitas.
Ibi nec est fugacitas,
Aevi sed est perennitas.
Ibi nec est rapacitas,
Sed est optima largitas.
Ibi nec est malignitas.
Sed summa ibi est benignitas,

Ibi

Ibi nec est molestia,
Ibi nec est angustia.
Ibi nec est corruptio,
Ibi nec est destructio.
Ibi nec est inanitas,
Ibi nec est immanitas.
Ibi nec est impuritas,
Ibi nec est obscuritas.
Ibi nec ulla duritas,
Ibi nec imbecillitas,
Ibi nec est acerbitas,
Sed expedita faustitas,
Et præparata dignitas,
Et imputata sanctitas,
Et absoluta castitas,
Amica liberalitas,
Et absq; nube amœnitas,
Et absq; nocte claritas,
Et absq; felle charitas,
Et absq; labe puritas,
Et absq; lite veritas,
Et absq; peste sanitas,
Et absq; fine hæreditas,
Et absq; morte æternitas.
Ibi beata Trinitas,
In unitate, Numine
Triuno adimplet omnia.

Ave Pater, Rex, Creator:
Ave Fili, Lux, Servator:
Ave Pax & Charitas!
Ave Simplex, ave Trine,
Ave regnans sine fine,
Una simplex Trinitas!
Amen!